1511
AT
Cruz
0

UVA. BHSC. BU 06120

C.A.67=6
69-7

1605

UVA. BHSC. BV 06120

6120

UVA. BHSC. BV 06120

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

POEMATUM

NOVA EDITIO,

PRIORIBUS LONGE AUCTIOR.

ACCEDUNT

JOHANNIS RUTGERSII POSTUMA,

ET

ADOPTIVORUM CARMINUM LIBRI II.

Ad Illustrissimum & Excellentissimum Virum

CAROLUM SANCTA-MAURÆUM,

DUCEM MONTOZERIUM.

BIBLIOTECA SANTA CRUZ DE VALLADOLID

AMSTELODAMI,

Apud Danielem Elzevirium.

CIↃ IↃC LXVI.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BV 06120

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

CAROLO SANCTA-MAURÆO DUCI MONTOZERIO,

REGI CHRISTIANISSIMO à CONSILIIS,
UTRIUSQUE ORDINIS REGII
TORQUATO EQUITI,
NORMANIÆ, ENGOLISMÆ, SANTONIÆ
PROVINCIIS PRÆFECTO,

NICOLAUS HEINSIUS D. D.

Carole, Sequanicæ nunc addite gloria ripæ,
Neuſtria quo multùm vindice læta viret;
Gallia quem victrix, Dea quem veneratur habetque
Præſidium rebus bellica grande ſuis;
Sive manu validâ trepidum ſtimularis in hoſtem,
Vividus ingenuæ ſeu rapit artis amor:
Seu par ingenuæ tibi Iulia dotibus artis
Ter tres cantanti ſufficit una Deas.

UVA. BHSC. BU 06120

Iulia ſemineæ ſpecimen memorabile laudis:
Iulia Romuleas inter honora nurus.
Quam probat, & Gnato Ludovix præfecit alendo:
Cui ſpes Auguſti credita tota Laris.
Regibus hæc mores Regumque propagine dignos
Artenices curâ perpoliente tulit.
Sic longum certentque, precor, dubiumque relinquant,
Hæc ſit honos domui major, an illa, ſuæ.
Sic Aviam referat, referat ſic Filia Matrem,
Iulia conjugio quam dedit aucta tuo.
Inſpice, ſed facili ſolitoque poëmata vultu,
Quæ tibi, ſub limam nunc revocata, damus.
Nec revocata damus ſine fœnore. pagina crevit,
Pagina poſt plauſus facta ſuperba tuos.
Sumſi animos; Famæ nec diſplicuiſſe putavi,
Quod tibi ſe Clariâ dote probarat, opus.
Mente timor ceſſit, fiduciaque addita cœpto eſt,
Te mihi Pïëriam conciliante fidem.
Carole Hyantiadum decus & tutela Dearum;
Fama Aganippæis, Carole, magna jugis;
Sordibus Aöniæ per te vacat alveus undæ,
Et redit arboreis ſera juventa comis.
Prata colorato Permeſſia germine rident:
Halantem Zephyrus flore pererrat humum.
Non lolia exſultant oculis inimica per agros:
Non ſterilis triſti regnat avena ſolo.
Nec Phœbo magis adſurgunt Heliconia Tempe,
Quam tibi, cum doctum tendis adire nemus.
Nota tibi, tibi trita via eſt, qua fallere poſſis
Stamina Parcarum præcipitemque colum.

Vita

UVA. BHSC. BV 06120

Vita brevi ſtadio decurritur æqua: ſed ævum
Laudibus extendi nixa per omne poteſt.
Iura domant Lethes, Stygiiſque potentius undis
Enthea Pegaſidum flumina numen habent.
Hac ope munitus noctem ſuperavit Avernam,
Par tibi, Tyrrhenis Regibus ortus Eques.
Hanc, dum præſidio dignabere, Carole, carmen,
Ore meo ſpondet Delius augur opem.

UVA. BHSC. BV 06120

LECTORI.

PAucis in hoc voluminis vestibulo conveniendus es mihi, Lector. Poëmata nostra, sed quæ me absente typis descripta sunt, indulgenter omnino abs te haberi par est, si fortassis manum meam mentemque non in omnibus feliciter operæ expresserunt. Percensui quidem oculo festinante pagellas pleraſque à prælo typographico recentes, ut in manus meas eæ devenerant, &, quicquid mendarum primos sub adspectus illic sese mihi offerebat, huic chartæ designatum commisi. Sed & quorumdam carminum post ipsam editionem exemplar aliquanto castigatius nuper in scriniis meis nactus, quæ concinniora illic, quam in editis, exhiberi judicabam, collegi in unum, atque hic subjeci, ut editioni hanc nostram proxime excepturæ inservire ac quodammodo utilia esse possint. De cetero diligenter cavi, eumque scriptionis scopum hoc in libello unice mihi proposui, ne quem stilo destringerem aut maledictis morderem, nisi provocatus multâ contumeliâ ac lacessitus. Quamquam vel sic injuriarum non parum dissimulavi & silentio involvi, harum maxime, quæ me ipsum tangebant. In parentis mei patriæque hostes aliquid, fateor, mihi hic illic permisi; quod cum pietatis sit, non est ut operose anxieque excusem. In Alastore, Santra, Cosso, theologo musteo, defricandis paternam existimationem asserui atque vindicavi, quibus illa obtrectantibus exponebatur. Patriam in Hispanis ac Britannis liberius nonnumquam exagitandis & carpendis sum ultus, etsi in Hispanos odia post diuturnam pacem aboleri jam cœpere. Nec defuerunt, de re divinâ nobiscum haud sentientes, qui belli istius tot per annos intentati nobis causas non prorsus improbarent. Armis Britannicis, quæ sola rapinarum ac prædæ libido jam denuo concitavit in caput nostrum, quis subscribit, quæso, nisi qui Regem optimum totque ex regiis ministris viros illustres jure ab his ipsis nuper trucidatos contendit? Absit nihilominus, ut genti universæ convitium à me fiat. In qua haud pauci atrocem regii capitis lanienam sunt detestati, lacrimasque mitem in modum publico furori

UVA. BHSC. BU 06120

rori ac ſanguini innoxio dederunt, quamquam pejor cauſſa tunc apud illos, uti & nunc, prævalebat. Complures certe eſt invenire in hac eadem gente, qui arma per populares ſuos in Belgas fœderatos converſa exſecrentur, & qui privatim mihi quoque ſic ſatis velint. Hos in partem ignominiæ atque opprobrii ſi traham immerentes, ſim profecto injurius. Illis hæc dicta ſunto, qui tela nuper admodum domi foriſque veſana in Regem ac gentiles ſuos primo, deinde in vicinos ac fœderatos, tamquam in civili bello inque parricidio parum criminis & dedecoris eſſet, turpiſſime ſtrinxerunt. Nam Horatii & Auſonii veterum poëtarum licentiam non fero, quorum ille Britannos pro inhoſpitalibus traduxit, hic bonum in Britannis virum inveniri negavit. & erat alter horum vir conſularis, alter apud Cæſarem admiſſionis intimæ, ut illi ab actis ac epiſtolis eſſe potuerit, niſi oblatum honorem recuſaſſet verecunde. ne fortaſſis è plauſtro per viliſſimos homines hæc convitia eſſe jactata opinemur. Denique, qui gladios pro patriâ me ſtringentem ferrent hoc difficillimo tempore, ſi militiæ ſacramentum dixiſſem, non eſt quod criminentur aut indigne ferant, cauſſæ noſtræ æquitatem à me poſteris commendari cum opprobrio illorum, qui temere & præter ordinem nullâ adfecti injuriâ bello huic nefario ſeſe accinxerunt, imperio maris inique non minus, quam ſuperbe & crudeliter inhiantes. Quamquam hanc diſceptationem hiſtorici argumenti ſcripto & ſuis annalibus præſtabit omnino reſervari. Porro quod gentilium deorum, Jovis, Apollinis, Muſarum, Martis ac Veneris, compluriumque id genus nomen frequenter hoc in libello adhibui, ut ad imitationem antiquitatis hic me componi non diffiteor, ita ſuperſtitionis paganæ ritus impios ac deteſtabiles hoc facto nequaquam aut fovi aut præ me tuli. Jovem quippe pro aëre aut cœlo, Apollinem & Muſas pro facultate poëtica, Martem pro bello, Venerem pro re amatoriâ etiam illi quandoque uſurparunt, qui ex profeſſo gentile dogma lucubrationibus ſuis oppugnatum veteres ivere. Apud eoſdem Fatum & Fortuna occurrunt haud infrequenter, & Styx & Pluto, & multa ejuſdem farinæ. Otiantis ingenii ludicra nos damus, in quibus raro ſerium quid ſeſe offert: ut haud quaquam

UVA. BHSC. BU 06120

quam ſint exigenda ad cenſuram ſeveriorem à Catonibus. Nam & cærimoniis Chriſtianis ab ungue tenero initiati ſumus religioſe per parentes, in iiſque cum præſentis tum futuræ vitæ ſpem ac fiduciam omnem repoſitam & nunc habemus ſalutariter, & porro ſemper, uti par eſt, habebimus. Cui profeſſioni ſi quid parum conveniens in hoc libello poëtico excidiſſe nobis imprudentibus, quod nolim, fortaſſis arguetur, id à nobiſmet ipſis damnari ultro ac pro irrito cenſeri teſtor. Denique ſi quis me qua vivo qua vivis ſubducto aut hoc poëmatiorum volumen aut alterius quid ſcripti ex noſtris, adauctum immutatumve, aut de novo formatum, quod publico commiſſum hactenus non ſit, ſub noſtro nomine luce donabit, præter ea, quæ per me hanc in rem partim jam nunc habeo parata, partim mox ſum habiturus, per tabulas ſupremæ voluntatis aut apud teſtes idoneos uberius à me deſignanda, is, vindicato ſibi in rem alienam jure, quin pro inteſtabili ſacrilegoque habeatur, tantum abeſt ut intercedam, ut pro tali habendum ac palam devovendum ultro pronuntiem. Vale.

NI-

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

ITALICA,

ELEGIARUM

LIBER PRIMUS.

Ad Illustrissimum Virum

CASSIANUM PUTEANUM.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BU 06120

Viro in exemplum ſæculi nato,

CASSIANO PUTEANO,

Equeſtris, qui Divo Stephano ſacer, Ordinis Commendatori, Abbati Caburrenſi,

NICOLAUS HEINSIUS

D. D.

Confidenter fortaſſe facio, nec omnino tamen aut præter ordinem, aut præter debitum, Caſſiane Puteane, integerrime omnium & humaniſſime Vir, qui invidendo præclari nominis tui ſplendore Muſas haſce illuſtratum eo. A pudore quidem cum impetrare meo vix poſſem, ut pedem ex Italia veſtra moverem, non prodita in publicum tuorum erga me meritorum confeſſione, nec ad manum tamen eſſet, quod expungendo debito ſufficeret; à benignitate tua fiduciam ſumſi, & vel ſolam meritum profitentis conſcientiam abunde ſatisfacturam tibi credidi. Adeo nimirum facile ac pronum eſt, minimam etiam apud illos notam mali nominis evadere, qui ſuperare beneficiis pulcherrimum ducunt. Nam, in urbe nuper æterna cum hærerem, quod non ultima inter tuos admiſſione me dignatus es, ſummaque benevolentia foviſti, quid nunc dicam? Quæ quidem ego ut inter amicos occaſione quavis haud premo, ita hic in tranſcurſu tantummodo nunc tango; ne ad oſtentationem ea prædicare videar, aut modeſtiæ tuæ gravis ſim. Quoties recordor tui, recordor autem ſæpenumero, toties occurrit menti pulcherrima virtutum omnium imago. Contemplari quippe videor Romanos illos veteres incorruptæ probitatis exempla: quorum genuinas reliquias in te venerantur, quotquot virtuti ſtudent. Accedit huc de antiquitate, deque univerſo reconditæ eruditionis nomine bene merendi prolixa & pervicax voluntas. Accedit ambientis Fortunæ contemtor

UVA. BHSC. BU 06120

animus, & Sapientiæ præceptis ad miraculum usque instructus. Domum illam tuam, pro sacrario Apollinis sui, quotidie terunt, quicquid Romæ literatorum vivit hominum, aut quicquid Romam Transalpinis ex oris concurrit. Statuarum ac marmorum quorumcunque nihil est; nulla propemodum ex priscis ruinis relicta monumenta sunt, aut in lucem de novo proferuntur, quæ non tuis sumtibus describi cures ac delineari, verus vetustatis sospitator, conservator unicus. Nec in vivos minor tua liberalitas. Ægre profecto persuaderi mihi patiar, ex eruditioribus per Italiam universam inveniri quemquam, quem non beneficiis frequentibus ac tantum non continuis & sis demeritus jam olim, & nunc quoque de die in diem sedulus demereare. Nec defuerunt inter illos, qui certatim gratos sese præstitere, dignisque heroïcum hunc animum præconiis immortalitati consecrarunt. Ut serus nunc ad virtutum tuarum commendationem accedam. Quæ quidem cum nemini non explorata sint, nec adulationi quicquam demus, Clarissimo ac summæ eruditionis viro Lucæ Holstenio, cum multas alias ob causas, tum hoc præsertim nomine, devinctissimum me profiteor, quod primus ad te aditum mihi pararit. Poteram mehercules, Vir Illustrissime, sola ambitione compulsus libellum tibi hunc videri inscripsisse, nisi beneficia tua, quorum rationem habui, & habere debui, ab omni vanitate me absolverent. Quicquid sit, de libello ipso ominari bene liceat, qui tam auspicato sub patrocinio luci committatur. Si tamen & suo forsan nomine benigna Lectoris judicia experietur, nec omnino displicebit: id terræ genio licet adscribatur, omnium elegantiarum matris, in qua natus est, & quam potissimum commendandam suscepit. An peccarim denique Lector eruditus viderit, dum laudes Italiæ illi viro inscripsi, qui laudes inter Italos præcipuas & consecutus est & meretur. Scriptum ipsum ludicrum, otiantis ingenii fœtus, in via, dum à seriis vaco, inter equitandum magnam partem conceptus. Quod monendum duxi, ne credas ipse, & tecum alii, pluris à me vendi ista, quam mihi constiterunt. Nam quod magnifice nonnumquam de me meisve verba fecisse videor, id intelligi sic nolim, quasi hic mihi ipsi blanditus sim aut assentatus: sed dolere & male iis esse volui, qui ferre in nobis non possunt, quod

UVA. BHSC. BU 06120

quod ad præclara adſpiramus, ac juratos hoſtes noſtros hoc nomine ſeſe gloriantur. Antiquitatis certe imitandæ curam mihi fuiſſe non nego. Id feliciter an aſſecutus ſim, tuum, tuique ſimilium, eſt arbitrari, Puteane Illuſtriſſime, qui veteres elegantias innumerato habetis. Mihimet profecto ipſe nequaquam hic ſatisfeci. At vero proclivis venia eſt inacceſſa tentantibus; & magnis auſis excidiſſe, non infra gloriam putatur. Amicos ac bene de me meritos quod libenter laudo, nimius & hic forſan nonnullis videbor, ac in mores ſæculi noſtri peccaſſe convincar. Nam qui plauſtra convitiorum ſcriptis ſuis ingerunt, in obvios paſſim incurrunt, quoſvis irritant, quoſvis ſcurrili ſale petulanter defricant, ea denique audent,

Quæ nec in Armeniis tigres fecere latebris,

illi demum magna nunc (ſi Diis placet) ſunt nomina. quos ego hercule non pluris facio, quam belluas aut brutas pecudes. Illi vero, Vir Illuſtriſſime, qui non amicos tantum, ſed & hoſtes occaſione quavis commendant ac demerentur, hunc ingenuitatis ſuæ fructum & candoris ferunt, ut abjecto animo eſſe credantur. Impetrare equidem à me vix poſſum, ut exiſtimem inter repertos nuper Americanos, barbaras aut inhumanas magis gentes eſſe eruditis noſtri ſæculi nonnullis. Aream illam, quæ ad doctrinæ gloriam tendentibus patet, arenam eſſe dicas, in qua gladiatores committantur. Præda ac rapinis alienæ exiſtimationis plerique ſuam tuentur, & fœda latrocinii cujusdam ſub imagine graſſantur per æternitatis ſemitam. quæ cum ampla ſit in primis ac ſpatioſa, anguſta tamen creditur, niſi eodem contendentes quoquo modo ſubmoveantur. Lapſos etiam, quos ſublevare comiter debebant, obterunt porro ac conculcant. Vivos ubi involarunt omnes, cum umbris mortuorum ac larvis luctantur. Mihi ſic viſum eſt ac videbitur ſemper, candorem & modeſtiam optima humaniorum literarum condimenta eſſe. Iis placere tibi velim, Vir Illuſtriſſime, ſi placeo. Pereat eruditionis nomen, & quicquid laudis ex eruditione captatur quæriturque, ſi efferantur mores ſcientia, non emolliuntur. Verùm maligna illa & contentioſa ingenia Diris ſuis exagitandæ relinquamus. Iamdudum enim evenire ſentio, quod frequenter evenit, ut æquo longius me provehat

UVA. BHSC. BU 06120

loquendi tecum voluptas. Quod reliquum est, clementissimum Deum veneror, ut non hoc tantum, quem nunc auspicamur, anno, sed sequentibus, & quidem plurimis, fausta tibi quævis ac fortunata largiatur, mihique ac bonis omnibus superstitem te velit: cum solus ferme nostro sæculo illuxeris, cui tuto sui patrocinium res litterariæ concredat. Vale, magnæ Laus maxima Romæ, cum Fratre per omnia tibi simillimo: & si molestior confidentiorve visus sum, cogita non gratis tibi constare summam comitatem, quæ peccaturos ultro invitat. Patavii. Pridie Kal. Ianuarias Anni CIↃ IↃC XLVIII.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA PRIMA.

Ad Hadrianum Vallium Delphenſem Batavum.

VAlli, Pieriis certiſſima gloria Delphis,
Flexanimo Pæan cui dedit ore loqui;
Dic, precor, ecquid habet fidi te cura ſodalis?
Ceſſit an in ventos ah fugitivus amor?
Me licet & patriam non mite diremerit æquor,
Tot ſpatia amoti me patriamque ſoli;
Te tamen abſentem grata ſub imagine cerno.
Crebra refert viſus noxque dieſque tuos.
Nec penitus fixum conſpectus lenit amorem,
Sequana, ſive tuus, ſeu, Tiberine, tuus.
Tu modo, Dî faciant, non averſere merentem.
Certet in alterna mutua mente fides.
Sic patre, ſic patria, vobiſque ſodalibus olim,
Soſpite ſic domina ſit mihi poſſe frui.
Sic oculis ſuperet mihi carior una duobus,
Carior optata quæ mihi luce ſoror.
Mars pater, & vigilis ſacraria Troïa Veſtæ,
Et patria profugi numina Teucra Lares,
Æneadumque Erycina parens, Tritoniaque hoſpes,
Tuque Palatino Phœbe colende jugo.
Quos Anchiſiades priſcæ pietatis imago
In Latium Phrygio vexit ab orbe Deos,
Alitibus ſalvete bonis mihi. tu quoque ſalve,
Si quid id eſt, rerum, maxima Roma, caput.
Quamlibet externis haud adſum barbarus oris;
Tangere qui cultam vix mereatur humum.
Ille ego progenitus ſociis tibi, Diva, Batavis.
Et mea Latoo numine plena domus.
Et mihi ſerta parant Romanæ civica Muſæ.
Et mihi Naſonis credita vita tui eſt.

UVA. BHSC. BU 06120

Naſonis mihi vita tui. nec cultius ullum
Auſonis ingenium fertiliuſque tulit.
Tu quoque Tænariis, Ovidi, lætare ſub umbris:
Hoſpes ïo, ſenium qui tibi tollat, adeſt.
Te teſtor, nec parva tuos mihi numina Manes;
Officium curæ nil eguiſſe ſuæ.
Si tamen in pulchro tibi corpore menda ſuperſunt;
Culpa vetuſtatis plurima, nulla mea eſt.
Sufficit hoc umbris. at tu, Dea magna, faveto.
Auſpicii puppim da regat aura tui.
Non ego ſidereo rutilantia marmore tecta,
Fulva ſub auratis non ego templa tholis,
Immenſas non miror opes, orbemque redactum,
Qua patet, & famulos in tua jura polos.
Hæc olim Fortuna tibi. nunc rudera paſſim,
Et cinis, & ſero nil niſi fama loco.
Ingeniis ſuperaſſe orbem, laus tempore major.
Hæ mihi te jungunt, has ego miror, opes.
Scilicet acceptum, quod nunc quoque tanta videris,
Nunc quoque quod ſuperes, vatibus, alma, refer.
Thybri, decus fluviorum, undarum gloria, Thybri,
Non minus Aonio gurgite numen habes.
Quin majus quoque numen habes. nec Græcia, dives
Sit licet ingeniis, anteferenda tibi eſt.
Me juvet in flavæ ceſſare crepidine ripæ;
Me tererc illa tuo gramina trita choro.
Idalio vel Naſo meus qua ſaucius œſtro
Movit Apollineis æmula plectra modis:
Vel qui Mæonio palmam ſublegit Homero,
Muſaque Dircææ par Venuſina lyræ;
Plautinuſque lepos, & ſumma Terentius artis,
Quîs Romana nihil ſcæna, quod æquet, habet.
Paſſeris aut flentur quo funera pectine, quoque
Hæmonium Thetidi Pelea jungit Hymen.
Aut ſenis Actæi Gargettia caſtra ſecuto
Semina per rerum cui grave ſurgit opus;

Cynthia-

UVA. BHSC. BU 06120

Cynthiaque Auſonii chartis memorata Philetæ,
Et cui pulchra fuit Delia primus amor.
Bilbilicos huc adde ſales, Senecæque cothurnum,
Quæque nepos Senecæ carmine bella dedit.
Fraternas ſuper adde acies, ſuper adde ſub Alpem
Pœni Martis iter, Theſſalicamque ratem:
Raptaque quem Diti Proſerpina nacta poëtam eſt;
Et tetricos Persî cum Juvenale modos.
Hos, Valli, ſi Muſa mihi tua venerit inter,
Nil deſideriis læter abeſſe meis.

ELEGIA II.

Ad Tiberim.

THybri, fave. tibi vela, pater, nunc plena moventur.
Sentiat adflatus fac mihi cymba tuos.
Cymba, bicornigeri ripis licet edita Rheni,
Ludere, Thybri, tuis non rudis illa vadis.
Longum iter eſt, quod inire paro. da robur eunti:
Ardua præruptæ da ſuperare viæ.
Jam mihi fulmineas Batavorum in prælia dextras
Stat, pater, immenſæ condere molis opus;
Liberaque & dominos colla indignata lupatos,
Naſſaviii immeritam vindicis ulta necem;
Tranſtraque ſanguineo ſtragem cumulantia ponto,
Et bene pro patriis arma cruenta focis;
Et dira Albanum ſatiari cæde negantem,
Æternum populis crimen, Ibere, tuis.
Tiſiphone de ſe palmam cui victa nocendi
Artibus & ſcelerum fertilitate dedit.
Hæc olim. nunc, ſancte, fave pacata ſonanti:
Serviat in plauſus hæc mihi ſcæna tuos.
Plectra virum graviora manent: ſibi prima juventæ
Rite pharetratus tempora poſcit Amor.

UVA. BHSC. BU 06120

Sic pugnam proludat equus mihi; sic fera discat
Classica non trepida belliger aure pati.
Idaliam nec te negat Ilia nosse pharetram:
Et Venus Æneæ non aliena tuo est.
Ecquid amat mea Lux profugum deserta poëtam?
An, pater, excidimus, curaque nulla mei?
Num cadit in faciem levitas (quod abominor) illam;
Ad tam formosos num facit ulla sinus?
Me miserum, Tiberine, domo quod devius absum!
Ah quam stultitiæ caussa pudenda meæ!
Non mihi sit tanti Teucros celebrare penates,
Et de Pergameo mœnia nata rogo;
Non rerum quondam dominas lustrare ruinas,
Et quod ab æterna nunc super urbe manet;
Nescio quis nostris insultet ut ignibus hospes:
Utque mei partes alter amantis agat.
Non me Pompeia spatiatrix turba sub umbra,
Vosque puellari plausa theatra choro,
Non circi, non templa juvant, non compita, non me
Martia virgineis gramina trita rotis.
Plus aliquid mea terra, (velim quod posse negari)
Ah mea terra aliquid plus, Tiberine, tenet.
Pœnitet heu sero, sero piget isse per altum.
Rivalem quam me nunc juvet esse meum!
Juppiter, externis inhumatus ut occubet arvis,
Qui rate cæruleas primus aravit aquas!

ELEGIA III.

Ad Vincentium Fabricium.

VIncenti, quem Calliope, quem cuncta sororum
Nascentem Clario fovit in amne cohors;
Qualis adhuc teneros pugnax Germania fœtus
Exploraturis durat in arma vadis;

Utque

UVA. BHSC. BU 06120

Utque Pelethronio luſtravit mater Achilli
In Dîs juranda nobile robur aqua ;
Te tuus è Latio procul Heinſius orbe ſalutat,
Nomen ob expertam non tibi vile fidem.
Fallor ? an apparent inſpectæ ſigna tabellæ,
Litteraque auctorem prodit amica ſuum ?
Apparere liquet. nec enim potes, optime rerum,
Tam tibi dilectam non bene noſſe manum.
Me tenet Aſſaraci regnata nepotibus olim
Septeni ſpatium Dardana Roma jugi.
Roma triumphatis metuendum gentibus omen.
Hei mihi, quam vultus non habet illa ſuos !
Rudera pro priſcis oſtentat fœda tropæis,
Funeris ah quanta mole ſuperba ſui !
Romani cineres, & quæ damnata favillis
Tecta ruinoſam lapſa ſubiſtis humum ;
Tarpeiique ſolo moles jam verſa Tonantis,
Et fruſtra Iliaco ſacra negata rogo :
Heu ſedes auguſta Deûm ! ſic barbarus ignis,
Sic te ſacrilegæ diripuere manus ?
Ten' tueor ? tene, alma parens ? ubi bellica virtus,
Nunc ubi majeſtas numinis illa tui ?
Tune ſubactarum moderatrix ardua rerum ?
Tune ille edomiti Martius orbis apex ?
Quæ ſors diſſimilem tibi te facit ? anne vel ipſas
Temporis exagitant jura maligna Deas ?
Ne tamen uſque adeo penitus cecidiſſe puteris,
Pectine Fabricii nunc rediviva mei es.
Sic Amphioniæ ſcænarum crimina Thebæ,
Pergama ſic Claria ſurgere juſſa lyra.
Ipſe loci Genius, nec adhuc ſine numine tellus,
Neſcio quid, quare me ſibi jungat, habet.
Seu nunc Herculei me Tiburis ora moratur,
Conſita pomiferis Tiburis ora jugis ;
Qua ſcopulo lapſis Anienus inæſtuat undis,
Et procul audita ſaxa fatigat aqua.

Seu

UVA. BHSC. BV 06120

Seu Circæa trahunt pecuaria: quaque tepentem
Fontibus egelidis temperat æstus humum.
Jugera Telegoni lætissima, non ego vobis
Pinguia contulerim fertilis arva Phari:
Non ubi Achæmenio Panchaïa fragrat amomo,
Aut quæ turilegus culta Sabæus arat.
Sive pharetriferæ nemoralis Aricia Divæ
Me trahit, æstivo silva petenda die:
Quaque Numæ conjux, Phrygiæque Numicius Annæ
Raptor amatrices gramine vestit aquas.
O non lustrandæ properanti lumine sedes,
Avia Pegaseo rite dicata choro!
Sed desiderium deserti mite parentis
Avocat, & spontis me negat esse meæ.
Cui nunc conspicuis meditanti sæcula chartis
Plorat ad Aonias æmula turba fores.
Hæc eadem te, dulce caput, manet ardua merces.
Non tu Lethæis præda futurus aquis.
Me quoque non totum quo postera negligat ætas,
Glorior ingenii pignus habere tui.

ELEGIA IV.

Pausilypus: ad Casparem Kinschotium.

PAusilypi myrteta, & odoræ laurea frondis,
Laurea Castalio grata corona Deo,
Obvia cæruleas cui Doris porrigit ulnas,
Et liquido tremulæ murmure plaudit aquæ;
Frigore quam placido Zephyritis temperat aura;
O numquam tacitæ garrula silva comæ.
Tu mihi concilia somnum ocius: ocius ægro
Tædia præruptæ tu mihi falle viæ.
Excipe me viridi gremio, nemus, excipe lassum:
Sic amet umbrosam plurima Naïs humum.

Sic

UVA. BHSC. BU 06120

Sic pia pacato Ceycis ab æquore conjux,
Mæstaque in aëria Daulia fronde parens,
Fletibus alternam querulis tibi mulceat aurem;
Lugeat hæc natum, lugeat illa virum.
Delia perspicuis sic se miretur in undis,
Et Satyri casta submoveantur aqua.
Hæc me, Kinschoti Venerum pater, ora moratur:
Sæpe mihi totos hæc rapit ora dies.
Sive sitis torquet, sitienti grata palato
Præda fluunt manibus citrea mala meis:
Nec mitem arboribus desunt stillare liquorem
Persica demta suis, Punica demta suis.
Pampinus hinc ulmum sociis complexa racemis,
Hinc picturato germine ridet humus.
Et modo litoreo speculamur in aggere fusi
Otia tranquilli temperiemque maris.
Et modo, sed facili, properat mihi carmen, avena;
Victuris utinam Musa benigna modis!
Te tamen in primis, te suspiramus abesse,
Vilius ô cara non mihi luce caput.
Nulla placent sine te mihi gaudia, nulla voluptas.
Vatis inoblito plurimus ore tui es.
Hoc equidem nostis, reor, avia. vos mihi testes:
Et stupet ad sanctam conscia silva fidem.
Forsitan hac olim requieverit Actius umbra,
Actius Ausoniæ fama superba lyræ.
Illum Aganippææ raptum juga Mergilinæ,
Et vidua Siren flesse putatur aqua.
Tu quoque mutasti veterem, Philomela, querelam.
Justior hinc lacrimis & pia caussa tuis.
Non facit invidiam dolor hic tibi, Tereos uxor.
Quam bona nunc mater, quam bona nupta fores!
Tune eadem, æternum tun' flesti hic ante Maronem,
Daulias, ah mæstis ingeniosa modis?
Tun' tantum, infelix, speraras ferre dolorem?
Quid tibi tunc animi, quid tibi mentis erat,

Cum

UVA. BHSC. BU 06120

Cum gemitus Phœbea pios ad busta trahentem
Percita funestis silva secuta sonis?
Audit, & admonito geminantur vulnera luctu.
Flebilius certe, quam modo, visa queri est.
Perge queri, miseranda, queri sine fine memento
Sincerumque tuum, Virgiliumque tuum.
At mihi sit sanctas venerari comminus urnas,
Aonium Tempe Parthenopæa nemus.
Tene Maro tumulum legit sibi? tune Maronis
Ossa foves placido, silva beata, sinu?
Exsulet, ingenium qui non habet, exsulet inde
Fæce Epimethêi plebs male ficta luti.
Jam minus admiror tua nomina, culta vetustas.
Difficile, hic Clario non caluisse Deo.
Ipse ego, Teutonici modo natus ad ultima Rheni,
Ausus in Ausonios plectra movere modos.
Dî facerent, tractu nasci licuisset in illo!
Patria, da veniam; rustica terra tua est.
Non tibi Pausilypus Peneïda ventilat umbram:
Fragrat in infausto laurea nulla solo.
Non platani genialis honor; non myrtus amatrix:
Non viridi luges qui, Cypariſſe, coma.
Nescit odoratam spirare Favonius auram.
Non tibi perspicuæ fons salit uber aquæ.
Non festinatam ter colligit area messem:
Non licet autumno bis dare poma tuo.
Ah nullo patriæ genio loquor! orgia duxi
Per tibi damnatos sic quoque, Phœbe, lares.
Quæ pietas opto prosit mihi: prosit ab ungue
Jam tenero Clariam sollicitasse chelyn.
Pectore vaticino si te non mentior; & si
Numinis interpres pagina nostra tui est.
Huc agedum, Pæan pater, annue: debita posco.
Non ego sim domui gloria prima meæ.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA V.

In Natalem Parentis.

SAcra vocant patrio facienda domeſtica Phœbo.
Nunc mihi, ſi quando, Calliopea, veni.
Tecum adſint Chariteſque tuæ Clariæque ſorores,
Et Paphii Paphia cum genitrice Dei.
Vulgus, ïo, procul hinc, procul hinc ſecedite, vulgus.
Tu quoque cum vulgo deſide, Livor, abi.
Nunc libet OEnotræ ſacraria pandere Muſæ;
Ferre per Auſonios nunc mea vela ſinus.
Parthenope Phœbea, fave pia ſacra paranti;
Si facile hoſpitium vatibus ora tua eſt.
Eia agite huc, Nymphæ Sebethides: huc mihi, Nymphæ,
Plena Dionæis ferte caniſtra roſis.
Jam mihi Pauſilypi croceos in vertice flores
Legit odorato gnava Thalia ſinu.
Ipſa Maronei Genium ſpirantia buſti
Serta tulit laurum, myrtea ſerta tulit.
Da citharam, da plectra, puer, cyathoſque, merumque.
Curarum procul hinc non mea cede cohors.
Amphora nunc veteris ſpumet generoſa Falerni,
Vel tu Gauranis Bacche repoſte cadis,
Cæcubaque, & læti genialia Maſſica floris,
Aut Surrentino lecta ſaliva jugo.
Thura focis dentur natale piantia tempus,
Salſaque cum liquida Pallade juncta Ceres:
Libaque, verbenæque, & ſi quæ denique magnos
Exorare ſolent munera blanda Deos.
Thura focis dedimus: quæ dentur, vina ſuperſunt.
Cernis, ut adfuſo gaudeat ara mero?
Læta ferant Superi precor omina. ſternuit omen
Flamma repentinam ter jaculata facem.

Accipio:

UVA. BHSC. BU 06120

Accipio: votis Deus annuet. annuet, Heinſi.
Incipe jam facili tu modo vota Deo.
Cándida Lux, ô luce dies jucundior illa,
Qua mihi vix nato riſit uterque pareus;
Quæ meritis precer æqua tuis, Lux fœta bonorum?
Ah labat in tanto cymba puſilla mari.
Tu nec ab Æoliæ flatu temerare procellæ:
Nec fer inhumani nubila regna Noti.
Rideat, ut riſit, placido tibi Delius ore
Semper, & in feſtis te ſciat eſſe ſuis.
Sæpe coliſalvo poſſis mihi, ſæpe parenti.
Te quoque in Elyſia, lux bona, valle colam.
Feſta dies, ſalve. tibi enim, tibi contulit omnis
Roma ſuas Veneres, Græcia priſca ſuas.
Ceſſit Idumæam Solyme tibi præſcia palmam,
Deque Palæſtino rapta tropæa Syro.
Sit mihi fas titulos non diſſimulare paternos:
Pace loqui, Livor, ſit mihi vera tuâ.
Aut, ſi jam veniæ non eſt locus, arma parentur.
Pluris amicitia Fama paterna tua eſt.
Virtuti fatale malum, comes æmule Muſis,
Livor iners, plora: rumpere, Livor iners.
Dî facerent, præſens natalia vota pararem:
Vota minus fido non bene danda Noto.
Sic tamen adveniant, quo mittimus: & procul, oro;
Mollior in patrias devehat aura manus.
O ſanctum genitor gnato caput, exige ſeros,
Exige ïo placidos & ſine nube dies.
Tu vitam luciſque jubar, tu cuncta dediſti.
Si qua mihi veniet gloria, tota tua eſt.
Te duce Pieriæ penetravimus avia rupis:
Nota parum vulgo te duce trita via eſt.
Gratia Dîs Genioque tuo, quod non ferar olim
Inter Apollineos nomen inane choros.
At tibi dent annos, dent longam fata ſalutem,
Deque meis annis, deque ſalute mea.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA VI.

Ad Paganinum Gaudentium.

ME fovet Inarimes ſcopuloſa Typhoïdos ora,
Ora ſub Icarii ſidere grata canis:
Quam rigui fontes, veniſque perennibus undæ,
Et placidum tremulæ murmur oberrat aquæ;
Blandaque temperies, & amica frigus ab aura,
Et numquam Æoliis invia myrtus equis.
Hic mihi nunc præſtat locus otia. ſi tamen ora
Præſtat, Hyantææ non ſatis apta lyræ.
Et modo frigenti mulcemur pectora lympha;
Et modo ſulphureæ fonte calemus aquæ.
Si qua fides, tellure ſatus genitrice Typhöeus,
Cui centumgemina brachia ſepta manu,
Mole ſub hac Paphiæ tentata cubilia Divæ,
Perfidaque in dominos nunc luit arma Deos.
Sæpe ſinum impoſitæ molitur & intima terræ:
Sæpe gravem toſtis faucibus adflat humum.
Pelion hic Oſſæ cumulaverat, Oſſan Olympo;
Auſus in æternum comminus ire Jovem.
At pater armato ſcopulis & inane frementi
Fulminis impegit tela triſulca ſui.
Haud tulit; & fracto reſolutum pectore robur
Fluxit ab aëriis in ſalis alta jugis.
Idalis è patrio, jam non fugitiva, profundo
Riſit amatoris vulnera cruda ſui.
Protinus obductum congeſta corpus arena,
Umbraque arenoſis myrtea nata jugis.
Ipſa loci facies, ſentis licet horrida dumis,
Frigoris illecebra non inamœna ſui eſt:
Cum furit æſtivis per hiulca vaporibus arva,
Flammaque pulveream Siria torret humum.

UVA. BHSC. BU 06120

Hactenus Inarime. Nunc te, Paganine, canemus;
Lucida Munichiæfax, Paganine, Deæ.
Hoſpitii quem jura mihi, quem gratia morum,
Cauraque ſimplicitas, nec ſimulata fides,
Quem mihi præcipue ſociavit candor amanti;
Candor in Aonio rarus, amice, choro:
Nec domus ad luxum, Phœboque operata ſupellex,
Quæque queant Clarias tecta decere Deas:
Totaque deliciis, ſed honeſtis, ſacra voluptas:
Gaudiaque innocui non niſi plena ſalis.
Cecropio ſe menſa probat condîta lepore;
Prodiga nec nimii, nec tamen orba, cibi.
Sobria ſic ævo vixit ſapiente vetuſtas,
Artificis labem neſcia ferre gulæ.
Mox venit ad partes Indorum victor Iacchus,
Juncta racemifero nec male Muſa Deo.
Adde bonos vultus, & lumen amabile viſu;
Et lautæ frontem quæ dapis inſtar habet.
Adde jocos riſuſque, & apertum pectus amicis.
Ferreus eſt, ſi quem non domus illa juvat.
Ipſe quoque his capitur Medicêus ſedibus heros;
Parvaque magnanimum tecta tulere Ducem.
Arne pater, pater Arne, novem dilecte Deabus,
Gaudia tam feſto quot tibi nata die!
Stagna meus ſpernat Paganinus inania Lethes:
Vindicat à Parcis hanc pia Fama colum.
Vos modo, ſi precibus, Superi, locus, addite vitam,
Addite; quam domino ſcripta dedere ſuo.

ELEGIA VII.

Ad Iohannem Fredericum Gronovium, V. Cl.

NOn ſic Auſoniæ Genius, Frederice, beatæ,
Illa Aganippæis æmula terra jugis;

Non

UVA. BHSC. BV 06120

Non vitrei fontes, non Parthenopêis aëdon,
Quæque Dionæam myrtus odorat humum,
Ut patriæ me cura meæ, genitorque relictus,
Urit; & annosam vix bene ferre moram est.
Jam mihi Trinacrios steterat lustrare Sicanos,
Qua Polyphemêis æstuat Ætna jugis:
Stagnaque sulphureos non perjuranda Palicos,
Et gratum liquidæ gurgite Pergon aquæ.
Vicit amor cari genitoris inutile votum,
Et stetit in cursu sponte carina suo.
Ausoniam spectasse sat est: agnoscimus omen.
Carbasa jam patrios nostra subite sinus.
Flava comas Arethusa, Elei Nympha Tonantis,
Quæ sale non tacta Dorida fallis aqua;
Ergo ego sim sine te, pulcherrima? nec mihi detur
Tersa magisterio tangere plectra tuo?
Serta Syracosiæ nectant mihi nulla Camœnæ?
Sedibus admittat non Erycina suis?
Non adsultantes de vertice metiar undas,
Sive, Pachyne, tuo, seu, Lilybæe, tuo?
Vel qua spumiferam scopulosa Pelorias iram
Nereos, & fractas caute superstat aquas?
Heinsiade, nugaris: agunt en carbasa venti.
Sit pudor, invito vota fovere Deo.
Trinacria est, ubicumque pater. pater ipse Batavo
Jam tibi Sicanias litore pascit oves:
Quas illi moriens Phœbei natus Iüli,
Maxima Libethro fama, reliquit opes.
Hospita me revocet cantu licet illice Siren,
Auribus imponat jam nihil illa meis.
Desine flexanimis, Acheloo nata, querelis
Non audituram sollicitare ratem.
Desine. nequicquam surdo blandiris amanti.
Quid juvat illecebras perdere, stulta, tuas?
Stulta, trahit profugum patriæ canor ille Thaliæ.
Voce tua melior vox mihi flectit iter.

UVA. BHSC. BU 06120

Me meus Aoniis Gronovius induet ulnis.
Ah pereat, si quem non manus illa trahit,
Digna vel Ausoniæ Suada cultrice vetustæ!
(Quam procul à Latio nunc Venus ista suo est!)
De me, Dî, facile est, si rumpit stamina Clotho:
Hanc modo continuet Parca benigna colum.
Ecquando mihi tempus erit, post dura viarum,
Cum fruar amplexu salvus, amice, tuo?
Cum bene narrabis reduci mihi, quæque saluti,
Quantaque libaris pocula, quotque, meæ?
Sæpe salutatis tua venit epistola nobis;
Redditaque in caras crebra tabella manus.
Egit & hoc tecum Kinschotius; egit abunde
Vlitius, ille animæ tertia cura meæ.
Vix duo præterea de tot mihi nuper amicis.
Cætera desultrix turba leviscque fuit.
Dî tibi dent lectosque precor niveosque sodales:
Dent sibi constantes, dissimilesque meis.
Posteritas hanc sera fidem mirabitur olim,
Pace tui Pyladæ, pace &, Oresta, tua.
Non Ixionides cum Mopsopio Ægida
Solus ad infernos venit, amice, lacus.
Horrida me Stygiis Acherusias unda tenebris,
Me premit ignava tristis Avernus aqua.
Proximus Umbrarum sinus est, campique silentes.
Huc tamen & fidam non piget isse manum.
Vix licet ulterius tibi pergere: deficit orbis.
Sistimus hic socium quin, Frederice, pedem?
Tu modo semotum merito laudatus amicum,
Ut facis, alloquio perge fovere pio.

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA VIII.

Cum Neapoli Liburnum navigaret.

ÆOle, cœrulei domitor maris; Æole, ponto
Quique negas, cupidos quique remittis equos;
Cimmerio cohibe violentos carcere fratres,
Et faciles aditu ſterne parumper aquas.
Aura, pater, ſatis eſt tenuiſſima: ſufficit aura,
Carbaſus Etruſcam dum mihi tangat humum.
Innocuum ſerva caput, Æole: parce merenti.
Præda necaturo non ego lauta mari.
Ah pereant, per quos alii periere: noceque,
Si qua nocens furto, ſanguine ſi qua, manus.
Non me formarum capiunt ſpectacula: non mî
Vana peregrinis vivere vota locis;
Curave diſtractis geminandi mercibus auri,
Aut bona poſſeſſis plura paranda bonis.
Muſarum violentus amor, per iniqua viarum,
Victaque tot terra tædia, victa ſalo,
Egit in Auſonium Troiani litus Iüli,
Et rerum dominæ Martia regna Deæ.
Redde, precor, patriis complexibus, Æole, natum.
Dona tuis jam nunc quanta parata tholis!
Audimur. poſuere Noti per amicius æquor.
Ut mihi blanditas aura ſerenat aquas!
Otia Parthenopes, & amatum litus Iäccho,
Litus Acidaliæ non nova cura Deæ,
Hoſpitium Nymphis Acheloïſin; ô bona tellus,
Quam canor, & choreæ, plectraque ſpiſſa juvant:
Fragrantes ſcopuli, Pindoque ſimillima Tempe,
Enthea Phœbêi culmina Pauſilypi,
Halitibus Zephyrorum & odoriferis myrtetis,
Fœtaque Penêæ germine frondis humus:

UVA. BHSC. BU 06120

Terque trium conſpecte lyrâ Sebethe Dearum;
Attica Biſtonium qua gemit ales Ityn;
Tranſtra vocant: Sebethe, vale; quem dia per orbem
Vexit Hyantæo Muſa Maronis equo.
O Veſvî vineta, ô pampineum Surrentum,
O Tritoniaco termite pinguis ager!
Cui Dea bis frugum fœcundo ridet in anno;
Bis Pomona ſuas prodiga credit opes.
Non ego Lucrino vicina Dicarchidos arva,
Non ego Baianas nomen Amoris aquas,
Non gratum Euboïcæ Cumas penetrale Sibyllæ,
Antraque fatidici perſona voce Dei,
Non te conſpiciam poſthac, mitiſſime Nereu,
Pæne magis, Nereu, litore blande tuo.
Troïus Auſoniam tubicen qua mordet arenam,
Nec procul hinc tacita repit Avernus aqua.
Daulias Iſmario crimen Philomela tyranno,
Conjugis in nato quæ ſcelus ulta tui es;
Daulias Aoniis imitatrix æmula chordis,
Quam reor Heinſiacos jam didiciſſe modos;
Cura mei tibi ne precor excidat. hanc bene ſerva,
Ah ſoror, ah conjux, ah miſeranda parens.
Hæc olim placuere. volant nunc lintea ponto.
Quid trahit elapſas ſera catena manus?
Nil agis illecebris: non ſum tuus, improba Siren.
Alterius Nymphæ dicar oportet amor.
Nympha capi natum ſibi vindicat altera pectus:
Prima Charis patriæ Nympha venuſta meæ.
Nympha decus formarum, & Apolline plena Batavo;
Teque minus fallax, teque pudica magis.
Nil mihi jam tecum, nequiſſima. nil mihi tecum,
Parthenope falſo nomine dicta. vale.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA IX.

Epicedium Franciſci Rovaii Poëtæ Etruſci.

SI quis amicorum Rovaiam plangis ad urnam,
Quamlibet in flendo funere, parce queri.
Fama viri patrium ſpatioſa perambulat orbem;
Auſonia patitur ſi tamen Alpe capi.
Maxima feſtinæ ſolatia mortis adeptum
Vindicat à Stygia turba ſodalis aqua.
Fletibus Aoniis & Phœbêo ululatu
Ad ſibi conſtructos turba ſonora rogos.
Præcipuum quos inter agunt ad ſidera murmur
Suada Cavalcanti mellea, Suada Dati:
Et cum Gaddiade facundi Donius oris:
Pectora Caſtalio bis duo ſacra Deo.
Neu ſoli pietate tibi, Franciſce, probentur;
Me quoque, me ſtudiis demeruere ſuis.
Hos mihi confugium patria tellure remoto
Dî, precor, ô fatis ſit ſupereſſe meis!
Ligneus ad cœlum cumulatis agger acervis
Creverat; aëriæ ſubdita tæda pyræ.
Vix ſtrue collapſa ſubſederat ardua moles;
Impetus eſt tepidis jam legere oſſa rogis.
Oſſa rogis jam lecta viri, monumenta leguntur;
Scriniaque in cupidam juſſa venire diem.
Si qua movent raptum mortalia, juſta negarit
Poſſe dari tumulo nobiliora ſuo.
At tu, Pegaſeam meritus quicumque coronam,
Et Clarium dextra verrere doctus ebur;
Ne nimium tibi fide: nocent & vatibus Umbræ.
Hic quoque Styx multum barbara juris habet.
Imminet à tergo cantantibus invida Clotho,
Et ſecat abrupta non ſua fila lyra.

UVA. BHSC. BU 06120

Quid tibi jam prodeſt vigilatæ cura Camœnæ,
Nec tempeſtiva ducta litura manu?
Cum rapiant tenebræ damnatis ſcripta lucernis,
Totque premant noctes Tænara nocte ſua?
Piërios ſimileſque tui conquire ſodales:
(Hac ope nitendum, Delia turba, tibi)
Ultima qui ſolvant victuros munera fletus,
Oſſaque cum ſparſo carmine ſparſa legant.
Quod niſi vulgaſſes æternam Æneïda, Cæſar,
Aſſaraci Phrygium non legerere genus.
Ductaque per verſas ter quinque volumina formas,
Funere de domini quam bene rapta ſui!
Arma virum noſſet quis Pompeiana tonantem,
Si Latio doctum Polla negaſſet opus?
Quid fidus non præſtet amor? fas rumpit Averni,
Et formidatæ Dîs vada tranat aquæ.
Iſmaris Eurydice, Rhodopæi cura mariti,
E Rhadamanthêa prima rapina domo.
Eumenis anguineo non illum armata flagello,
Tergeminæque minax terruit ira feræ.
Mox aliis eadem fiducia nata poëtis.
Audit Apollineos janua ſurda modos.
Ecce novo cultu Rovaius, & integer ævi,
De Styge Tænaria, nec revocandus, adeſt.
Pone pias lacrimas, Etruria; pone: revixit
Ille tui plauſus, en lepor ille tuus.
Cum poſſet famæ ſe credere, maluit ultro
Per ſibi tam caras ſæcula ferre manus.
Rumpere ïo, Lethæa palus. de vate relictum
Nil tibi, quod poſſis ducère jure tuum.
Pectine Perſephonen citharæ Rovaius eburnæ
Quam non ſuſtinuit flectere, flexit amor.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA X.

Cum Venetias jam perveniſſet.

ALtius hinc, Erato, jam tollere: magna ſonamus.
Quid trahis alternum, Piëri, laſſa pedem?
Num tibi Pœnini nocuerunt ſaxa maligni,
Saxa procelloſo ſemper aperta Noto?
An tibi Parthenopen fugienti cærula Doris
Concita turbatas per vada movit aquas?
Tangimus Euganeos Idæa novalia colles.
Jam prope decurſam perfice, Diva, viam.
Phœbe, fave: tuus ille labor. recidiva canetur
Dardanis Hadriaco nunc mihi Troia mari.
Quam neque fulmineis pugnax Germania caſtris,
Pilaque Teutonica freta Latina tuba;
Helleſpontiacæ quam nec fera cornua Lunæ,
Armaque damnata perfida mota manu;
Non libertatis ſubſeſſor fregit Iberus,
Non Capitolini tela triſulca Dei.
Quid memorem attonito minitantia culmina cœlo,
Templaque miratos aurea Solis equos?
Templa polum rutila: Phœbumque hebetantia vena,
Et tot congeſtas, quot velit orbis, opes?
Vive, triumphatrix Dea temporis unica, vive;
Perque quot iviſti, per tot itura dies.
Te neque triverunt pereuntibus invia rebus
Sæcula, laſſata jam duodena rota.
Non valuit Mavors evertere: quamlibet armis
Jam tibi contiguam depopulatus humum.
Ipſe licet rerum veniat pacator, ut olim;
Nil agat Herculeæ robur inane manus.
Surgite Pergameæ, pia ſurgite culmina, turres,
Quantus Abydenis finibus horror ïo!

UVA. BHSC. BU 06120

Senſimus augurium: gemebunda Boſporus urna
Mugit, & attonitis ſternuit omen aquis.
Sume mares animos, gens Ilia. poſcit Idume,
Poſcit io Solyme rurſus avita capi.
Jam tremit expertos Byzantia terra triumphos.
Jam tibi dat famulas, ceu dedit ante, manus.
Cauſa tibi, cœlum tibi militat. adjuvat ipſe,
(Vincere quid dubitas?) adjuvat ipſe Deus.
Neu te millenis exſternet carbaſus alis,
Barbaraque innumero remige mota ratis.
Ipſe ſuos Neptunus aquis defendet amores.
Jam thalami pretium palma parata tui eſt.
Debita fer nuptæ ſponſalia, rector aquarum.
Non potes Euganeos diſſimulare toros.
Conjugis Hadriacæ Teucros, Neptune, penates,
Et, quos ſtruxiſti, ſancte, tuere lares.
Munera ſi data ſunt, pater, annua; plura dabuntur.
I nunc, Dardaniam parce probare fidem.
At vos, emta Dei gens ſanguine, ſanguine Chriſti
Emta, quid infandas aſperat ira manus?
Cognato toties ſceleratum vulnere ferrum,
Si modo quis ſupereſt, ſit ſatiaſſe pudor.
Non ſerpentigenæ Cadmeïa ſemina fratres
Fata per alternam ſic ſubiere necem;
Aut quos Phaſiacis concurrere vidit in arvis
Theſſalus, intactæ primus arator aquæ.
Si pugnæ tam pronus amor, tam certa cupido
Sanguinis; Odryſiæ diripiantur opes.
Hic ſeſe Mavors exerceat Europæus.
Huc agat arma Deo juſta probante furor.
Treïciis victrix jugulis immergite ferrum.
Dira Palæſtinam victima ſternat humum.
Hæc conſanguineis præſtanda piamina buſtis:
Crimina fraternæ ſic abolenda necis.
Vix tandem erubuere. vides, ut in agmine murmur?
Tela verecundæ jam poſuere manus.

Sacra

UVA. BHSC. BV 06120

Sacra tibi, Pietas, en induet arma juventus.
Eventura meo Delius ore canit.
Militet Iliaco natorum Antenore castris,
Et terat Eoas Hesperus ultor opes.
Sic Venetum dici se gestiat Hadria semper,
Bosporeoque neget libera colla jugo.
Purpureo sic cultu & majestate togata
Gaudeat Ausonii Diva superba maris.

ELEGIA XI.

Ad Cassianum Puteanum, Virum Ill.

FOrsitan adspectus Anieni blanda virentis
Margine pomifero nunc trahat unda tuos,
Qua se præcipitans saxi de rupe sonori
Spumeus albenti fervet in amne latex;
Aut qua Telegoni fatis inimica paternis
Dextra suburbanâ mœnia fixit humo;
Hic ubi fœcundos exhalat plurimus ignes,
Et roseâ Zephyrus Chloride gaudet amans:
Albave, in Ausoniam translatæ exordia Troiæ,
Vel Prænestini jugera læta soli.
Appia marmoreis nunc conspicienda sepulcris,
Nunc vocat Æmiliæ gratior ora viæ.
Et modo Daphnæa cessas, Puteane, sub umbra:
Et modo miraris Virginis agmen aquæ.
Nunc juvat in rerum domitrices ire ruinas,
Tectaque Romuleos Assaracêa lares:
Aut effossa paras decoris monumenta vetusti,
Inque tuam transfers ære parata domum.
Ah loca felices quibus obtigit illa tueri,
Et magnæ gremio perçaluisse Deæ!
Ista juvent, nam jure juvant, Puteane, beatos,
Parca quibus niveam legit amica colum.

At

UVA. BHSC. BU 06120

At mihi te propter Româ procul ire moleſtum eſt:
Indolis uſque adeo tangor amore tuæ.
Non jam, qui domino Tiberinus ſpectat ab alveo
Per loca quæſitas, quot polus ambit, opes;
Martigeniſque diu perarata Quiritibus arva,
Arva novos mundo quæ peperere Deos;
Non ſeptemgemini rerum moderamina colles,
Terrarum & Latio credita ſumma Jovi;
Non mihi, Phœniſſæ pia cura Numicius Annæ,
Conſcia nocturni non placet umbra Numæ.
Vilis Aricinæ Theſeïus accola Divæ,
Et per Piërium quæ tremit unda nemus.
Flavia ſiderei vilis menſura theatri,
Vilis Acidaliâ myrtus odora comâ.
Martia jam ſordent mihi gramina, gramina ſordent
Martia, luminibus non iteranda meis.
Da veniam, Puteane. nihil non ſpernimus horum,
Cura tui poſtquam pectore fixa meo eſt.
O decus, ô toto memorabile nomen in ævo,
Si quid amat dotes Auſonis ora ſuas.
Digne vel antiquis nil cedere laudibus, & quem
Tollat Mæoniæ clangor in aſtra tubæ.
Quid referam probitatem, & nectar amabile morum;
Nec minus intactâ candida corda nive?
Te velit Uranie ſæcli facunda vetuſti,
Te lyra materiam quælibet eſſe ſuam.
Contemtus ſpernare tuo, Meſſalla, Tibullo;
Nec placeas Rudio, Scipio magne, ſeni.
Et tibi, ſi qua fides, faſtidiretur, Horati,
Sanguinis Etruſci regibus ortus eques.
Hei mihi, cur Liguris ſulcamus inhoſpita ponti?
Cur vocat in cupidos terra paterna ſinus?
Ah quam non facile eſt, à te, Puteane, revelli!
Diſplicet hoc uno patria nempe mihi.
Dividimur non ſponte. jubent te fata relinqui,
Fata moraturo non ſatis æqua jubent.

Huc

UVA. BHSC. BU 06120

Huc quoque, dum medii jam findimus avia Nerei,
Nerei impacatas Æolus inter aquas,
Huc quoque (me miſerum!) citream vagus attulit auram,
Italiæ ſeras vela ſequentis opes.
Parce, moræ ſatïo dedimus tibi, parce poëtam
Urere deliciis, Auſoni blanda, tuis.
Si quid agis, profugæ Puteanum ſiſte carinæ.
Da, precor, hunc nobis. cætera tolle tibi.

ELEGIA XII.

Italiæ & Muſis valedicit.

POſcimur in patriam: patriâ jam vivere tempus.
Avocor invitus, terra Latina: vale.
Terra vale dilecta. tui me cura ſequetur.
Scilicet hoc, poſthac quo tibi ſiſtar, erit.
Tu quoque vive mei memor, Auſoni. perſtet utrimque,
Teque mihi ſocius, me tibi, jungat amor.
Auribus hauſiſti mea ſi modo plectra benignis:
Si commendavit ſe ſonus iſte tibi.
Ille ego Piëriæ nimius fervore juventæ.
Ille ego judicio debita fama tuo.
Cui neque Caſtaliam dubitaſti plectere laurum;
Plauſibus in cœlum quem neque ferre tuis.
Nec tantum mea Muſa ſuis laudata Batavis.
Plus tibi quam patrio debuit illa ſolo.
Hæc niſi me moveant, Scythicæ feritatis abundem,
Simque Lycaonii crudior axe poli.
Quicquid id eſt; ſis, Diva, memor. me dividit æquor,
Æquor ab Auſonia triſte revellit humo.
Nunc Batavæ Dryades, qua deſidis ultima Rheni
Non bene cæruleis ſtagna negantur aquis,
Lugdunum formoſa ſuis nunc induet ulnis.
Illa mihi patria eſt, nec pudet; illa domus.

Quam

UVA. BHSC. BU 06120

Quam ſua libertas, dominis averſa lupatis,
Haud tulit Aſturio ſubdere colla jugo.
Nec Ganda Heinſiacis memoraberis unica cunis.
Dî melius! famula non ego natus humo.
Nutriat inflatos tibi pinguis Iberia vates.
Hos fac ſuſpicias: hinc tibi plauſus eat.
Parcior ingeniis ſervilibus adflat Apollo
Pectora: totus agit libera corda Deus.
Me mea Lugdunum ſibi vindicet: illa moretur,
Illa trahat; civem me probet illa ſuum.
Atque aliquo citharæ numeros memorante Batavæ,
Sive tuos, Groti, ſive, Secunde, tuos;
Dî, facite his addar non ultimus! & mihi quondam
Fama per Aönium concilianda nemus.
Viderit id Pæan, quo nunc agitante calemus.
Cernis, ut adflato ſpiret in ore Deus?
At quia Phœbêa Latii regione carendum eſt,
Emeritæ paries fer monumenta lyræ.

FINIS ELEGIARUM LIBRI PRIMI.

NICO-

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

ITALICORUM

LIBER ALTER,

ELEGIARUM

LIBRUM SECUNDUM

COMPLEXUS.

Ad Virum Clarissimum

CAROLUM DATUM,

Patricium Florentinum.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BU 06120

Viro Clarissimo,

CAROLO DATO,

Patricio Florentino,

NICOLAUS HEINSIUS

S. D.

VRbi vestræ cives tam manu promtos, quam præstantes ingenio, numquam defuisse, quis ignorat, Date jucundissime, nisi qui aut in historiis est hospes, aut eruditionis gustum non habet? Sed ut laudem, qua polletis, bellicam, utque armorum, priscam quidem in vobis illam, necdum tamen obsoletam gloriam commendandam aliis relinquamus, fatendum interea est, doctrinæ ac ingenii palmam à nullâ Italicarum civitatum vestræ præripi; etsi longe nunc minori, quam olim, incolarum celebremini frequentiâ. Adeo quidem, ut anxio ulcisci conatu insignem hanc fatorum injuriam videamini, deque orbitate ac solitudine vestrâ quodammodo triumphetis: & quo civium decrescit magis indies atque attenuatur numerus, eo constantius per jacturæ angustias illas continuâ ingeniorum ubertate eluctemini, multique inter paucos emineatis ob egregias dotes posteris non uno prædicandi sæculo. At vero sub æternis Medicêi nominis auspiciis cum instauratæ primum sint per Etruriam scientiæ, sub iisdem quidni limites nunc suos ac pomœria latius extendant? Duabus, quas in Italiam suscepi, profectionibus cum regionis amœnitate ac Genio multum captus sim, nullus tamen illic terrarum tractus occurrebat, cui perlustrando plus temporis impenderim, qui voluptate me adfecerit majori, quam vester ille. Quantum benevolentiæ, quid comitatis sim in vobis expertus, si percenseam, neque sit hujus loci oratio, & immane quantum excrescat: nedum ut præstita mihi à singulis officia commemorari ordine ac recen-

UVA. BHSC. BU 06120

recenſeri ſe nunc patiantur. Nec *ut inquilinum habuiſtis advenam, aut extraneum, ſed in ſacra ac penitiora Academiæ utriuſque penetralia admiſſum, utriuſque civitate, ut ſic dicam, donatum, & præſtantiſſimo adſcriptum ordini, Apathiſtæ etiam munere auctum atque ornatum, non benigniſſime tantum foviſtis, ſed diſſertationum quoque mearum frivola, quoties à me verba fierent, attentis excepiſtis auribus. Mei autem demerendi hoc ſingulare ſtudium quamquam aliis popularium tuorum nonnullis commune tecum fuit, patere tamen, quæſo, ut agnoſcam, tibi præ reliquis omnibus hic multum me debere. Sanctam mehercules habebo ſemper Iohannis Baptiſtæ Donii memoriam, non tam ſuo nomine, (etſi hoc quoque) aut quod Freſcobaldos, Cavalcantes, Gaddios, Cultellinos, alios urbis veſtræ viros præcipuos mihi conciliavit, quorum amicitiam feci hactenus & faciam porrò maximi, quam quod tibi me conjunxit, mi Date; cujus operâ in notitiam ac familiaritatem plurimorum apud vos hominum eximiorum mox irreperem. Nam ut Sereniſſimum Leopoldum ab Etruriâ præteream, Principem omni laude cumulatiſſimum, cujus ſacras virtutes jejunâ hic oratione profanari nefas ſit maximum: ut Iacobum Salviatum, Iuliani Ducem, non tangam, Etruſcæ poëſios lumen immortale: quidni in te obſervem ac colam Strozzas fratres, Capponios, Rinuccinos, Oricellarios, Guidaccios, Marucellios, Giraldos, Ceſſinos, Ricaſulos, Cinos, Erminios, & quicquid præterea excellentium inter vos ingeniorum? Quorum conſuetudinem tibi partim, partim Comiti Ferdinando del Maeſtro, viro diſertiſſimo, refero acceptam; & hunc quoque totum tibi. Quid de Valerio Chimentellio, homine omni literatura perpolito, dicam? Cujus hoſpitio amanter unà nos exceptos, cum anno proxime elapſo Piſas mecum te contuliſſes, meminiſti. Quid de Iohanne Priceo? qui ingens civitati veſtræ ornamentum ex ultimâ nuper acceſſit Britanniâ. Poteram & cœli Florentini clementiam multis commendare, & in alias patriæ tuæ laudes excurrere, ſed metus jampridem juſtiſſimus eſt, ſi veſtra omnia nimis operoſe commendem, ne mihi potius ipſi, quam tibi, blanditus atque aſſentatus eſſe deprehendar; neve huic libello, cum majori ex parte apud vos ſit natus,*

UVA. BHSC. BU 06120

natus, tamquam Etrusco, occultâ prædicatione patrocinari astutè videar. Ego vero etsi probe capio atque intelligo, quam nihil te dignum præ se ferant hæ Musæ, alius tamen vix nunc occurrebat, in cujus clientelam confidentius ac jure majori transirent: sive tuum erga res meas adfectum verè incomparabilem intuear; sive beneficiorum assidue in me collatorum sit habenda ratio, sive denique ad partes judicii limatissimi vocetur acrimonia, & in scribendis versibus rara felicitas, qua nemini hac tempestate concedis: præsertim cum vernaculus sermo ad poësin excolendam te invitat. Quare, cum persuasum habeam, natalis soli urbanitate illâ eximiâ prorsus indignum esse hunc fœtum, & ab elegantiâ patriæ suæ multum degenerare, tui quæso patrocinii tuæque adoptionis beneficio nihilominus referat acceptum, ne Florentinus negari omnino possit. Vale. Exarabam Lugduni Batavorum Anno CIↃ IↃC LIII. *Kal. Septembr.*

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA PRIMA.

Ad Chriſtinæ Auguſtæ laudes ſe parat.

AUREA Libertas, me judice prima Dearum,
Jam mihi ſervitium mite paratur; abi.
Servitium, Dea, mite. terunt en vincla lacer-
tos;
Quîs ſi me expedias, haud tuus eſſe velim.
Liberius nexu nihil hoc datur. ite, Batavi,
Martia gens, famulo gens inimica jugo.
Tempore quîs tanto, tanto quîs ſanguine conſtat,
Lege (nec invideo) vivere poſſe ſuâ.
Patria, da veniam; non ſum meus: abſtulit æquor;
Abſtulit è gremio Mænalis Urſa tuo.
Magna viæ merces, dextram tetigiſſe faventem,
Clarius in lato qua nihil orbe, Deæ.
Non Pater armiferi domitor Germanicus Iſtri;
Sarmaticique tremor nominis alter Avus.
Ales Hyperboreis conſpectos Fama tropæis
Quos memori longum poſteritate canet.
Sanguinis ecce fides invicti regia Virgo,
Nobile Naturæ ſe ſuperantis opus,
Siſtit Apollineo profugas Helicone per Arcton,
Et lare frigentes & fovet ære Deas.
Tempus ïo (valeant ingrata ſilentia, Muſæ)
Tot meritis ſacrum ferre ſub aſtra caput.
Primus ego Aöniam (faveas modo, Phœbe) per umbram
Nomen in Auguſtum, pectine fretus, eo.
Hæc citharæ laus nata meæ. licet inde ſequantur,
Quos aget adflatu nobiliore Deus.
Verba ſuis nuper numeris non vincta parabam,
Perque magis facilem fama petita viam eſt.
Pegaſei non cura, ſitis non ulla, liquoris;
Jamque procul plectrum, jam prope fortis eram.

Comiter

UVA. BHSC. BV 06120

Comiter increpuit Virtus Auguſta tepentem,
Et poſitum culto pollice raſit ebur.
Numinis imperio ſuccumbimus. æquor arandum
Rurſus, & emeritæ fila terenda lyræ.
Maxima Regnantum, Clariæ tutela cohortis,
Vindice qua terris eſt bene, ſitque diu:
Annue, daque manum timidis, Auguſta, Deabus;
Et ſine eant, Genii quo vocat aura mei.
Nil prius eſt mihi laude tuâ. licet ipſa recuſes,
Ipſa licet nolis; hinc bene carmen eat.
Fac populo, ſis quanta, palam; prodique latebrâ:
Sin minus, oſtentant te tua ſceptra tamen.
Regia perſonam capiti Fortuna modeſto
Detrahit. invitæ lux toleranda tibi.
Quod niſi ſunt operum tibi tædia, teque gravaris;
Maxima ſi virtus non oneroſa ſibi eſt;
A tantis abſit meritis rubor. incipe plauſus
Ferre pios: titulis ſit locus oro tuis.
Sic, niſi Cumææ poſt vix numeranda ſenectæ
Tempora, poſt Pylii ter geminata ducis,
Te ſibi nec ſperent, patrii bona funeris ultrix,
Invideant hilari læva nec aſtra ſolo:
Terraque (quod miti morum pietate mereris)
Sera gemat raptam; ſera requirat humus.
Ferrea ſic Geticis dent tergum fæcla triumphis:
Sic tibi pacato Mars ſit ab orbe procul.
Vindice te Pallas, te vindice Phœbus ametur;
Te ſuus Aöniſin vindice conſtet honos.
Vel magnum feciſſe nefas laudanda putato;
Debita vel factis præmia diſce pati.
Denique, ne reſtet quod vincas, vince pudorem.
Eia age, da palmis meta ſit ille tuis.

UVA. BHSC. BV 06120

ELEGIA II.

Magni Etruriæ Principis Cosmi Medicei Natalis decimus.

SAcra dies, salve; decimam cui libat aristam
Nominis Etrusci maxima vota Puer.
Spes totas, fatum omne sui cui credidit Arnus;
Itala lætitiam credidit ora suam.
Tura tibi Pylios redeuntia dentur in annos.
Tu modo magnanimum fac tueare caput.
Cosme, tuum nomen, rebus fatale gerendis,
Principis in famam te jubet ire boni.
Sanguinis auspicium nec habes leve. sanguis utrimque
Laudis agat stimulo pectora, Cosme, suæ.
Hoc Pater, hoc Patrui, gens hoc Medicêa, requirunt:
Gloria Feltriacis hoc pia Mater Avis.
Jam tibi credenda est Etruria. respice, quanti
Ponderis hos humeros, quam grave, spectet onus.
Fertilis ingeniis Etruria, fertilis armis;
Terraque Palladiâ non semel arte potens.
Accedat meritum natalibus. indole præsta,
Ne debere atavis te videare tuis.
Sceptra paret Virtus. alienâ turpe putandum est,
Ipse tibi possis quod dare, ferre manu.
Moribus imperium, non sanguine, prima mereri
Gloria; ne gratis constet emendus honor.
Moribus imperium redimas bene. publicus arctè
Hoc sibi te nexu conciliabit amor.
Ire per annales, per apertum laudibus orbem;
Æternâque juvet posteritate frui.
Trita terenda via est. vestigia, Cosme, tuorum
Adspice: quam deceas adspice, Cosme, domum.
Parca parem meritis tantum neat æqua senectam;
A virtute petes cætera fata tuâ.

Per

UVA. BHSC. BU 06120

Per te, jam Proavos ubi viceris, incipe vinci;
Et, quæ des populo, da tibi frena prius.
Sufficis augurio. sat Dî cavere superque,
Indole ne voveam nobiliora tuâ.

ELEGIA III.

In exsequias Petri Puteani, ad Ioannem Capelanum.

ETsi me genitor Musæ tenet Arnus Etruscæ,
Arnus Apollineâ nobilis unda lyrâ;
Et modo fœcundam tot miror vatibus urbem,
Et modo finitimi rus geniale soli;
Mens tamen omnis abest ad Celtas versa penates,
Inque Capelani pectore fixa sui.
Hic gratam studiis requiem gratamque labori
Invenit: hic curis portus, amice, meis.
Te licet Aureliæ pia Virginis arma morentur,
Castraque fœmineâ cæsa Britanna manu:
Magna sonaturam (precor) amolire Thaliam:
Fac procul heroi sit tibi cura pedis.
Nunc opus est elegis; elegis opus. illa dolori
Æqua meo Musa est; convenit illa mihi.
Ibimus in lacrimas. Puteano carmina rapto
Poscimur. invidiâ, Mors, jacet ille tuâ.
Muta premunt viduos domino lamenta penates,
Atriaque Aönio semper aperta choro.
Cortinæ quâ, Phœbe, tuæ tripodesque sonabant,
(Me miserum!) dispar quam domus illa sibi est!
Hauriat hos gemitus facili pater Arnus ab undâ.
Fallimur? an rapidæ lentius itis aquæ?
Nec sic tangit amor, mihi quo, Puteane, superstes
Junctus eras, quamvis hic quoque tangit amor;
Ut solidi vallo munitum pectus honesti:
Cordis ut invicti robur: ut illa fides:

UVA. BHSC. BV 06120

Ut frons, obſequii fuco non tacta doloſi:
Parque ſuis animis, par quoque lingua ſibi:
Ingenuuſque rigor, qualem nec in ore Catonis
Martia laudavit Roma, piique Numæ:
Ut dignum Genitore decus magnoque Thuano
Sanguinis: ut paci mentis amica quies.
Cuncta movent lacrimas; lacrimis jactura levatur.
Certior in tantis nulla medela malis.
Quod ſupereſt laudi, pro me monumenta loquantur,
Nunc quoque quîs patriæ vivis in ore tuæ.
Quolibet illa magis monumenta perennia ſaxo,
Utilis hiſtoriæ temporibuſque labor.
Fata domant chartæ, non interitura ſupellex.
Atropos hic victam tendit avára colum.
Multus in his poſt te ſpectabere. nulla vetuſtas,
Nulla tibi meritum reddet inane dies.
Gratáque dat nobis ſolatia Frater, ademti
Maxima qui ſupereſt pars, Puteane, tui.
Spirat adhuc morum concordia, ſpirat utrimque.
Juris in hanc habuit Parca profana nihil.
Fratris in alternos veneramur imagine vultus.
Tam bene te nequeas ipſe referre tuis.
Ille animam appoſito fugitantem admiſit in ore
Decolor, avelli viſus & ipſe ſuâ.
Ille tibi exſequias, & iturum in ſæcula buſtum,
Tutaque ab ætatis dente ſepulcra dedit.
Sic & Amyclæos ab Averno gurgite fratres
Mutuus invito Dite redemit amor.
Sidera Amyclæos nautis placidiſſima fratres,
Et numquam dubiæ non bene viſa rati.
Denique, ne toto viduus ſibi fratre putetur,
Nunc pro te fruitur laudibus ille tuis.
Floribus en tumulum Cyrrhæa per avia lectis
Spargit, & Aöniâ turba ſodalis aquâ.
Fructus amicitiæ pulcherrimus obtigit umbris;
Inferiis vacuum ne tibi funus eat.

Et

UVA. BHSC. BU 06120

Et bene habet, quod morte tuâ memorabere felix;
Ne foret immerito bis patienda tibi.
Haud temerata diu pia lumina fontibus armis
Ad consanguineum succubuere nefas:
Et tantum metus iste fuit. lætemur ademtam;
Flebilior quavis nunc nece vita foret.
At tu, tam clari quid nescia funeris hæres,
Versa tuas in te, Gallia cæca, manus?
Noxia quam tabo populari pascit Erinnys:
Attonitum Stygio cui secat angue latus.
Huc ades, huc. si cura tui tibi nulla medetur;
Crede sacram, tegitur qua Puteanus, humum.
Certa solo constet reverentia. sanguis ab urnâ
Omnis eat procul hac, hac procul omne scelus.
Otia si bellum lacrimis civile negavit;
Publicus abrupit si pia justa furor;
Non intellecto nunc saltem cede dolori,
Ferrea, nunc laceras, Gallia, velle comas.
Sat Furiis, miseranda, tui Parcisque dedisti.
Plurima Tænariam quid gravat umbra ratem?
Projice cognato saturatum sanguine ferrum.
Auspiciis miseram sit pudor esse tuis.
Ergo alius non est, alius, malesana, negatur,
Qui tibi sanguineo Marte triumphus eat?
Usque adeone ferus Thrax occidit? hostis Idumen
Totque erepta tibi mœnia nullus habet?
Nec longe quærendus Iber, latus ense cruento
Qui petat. hac melius læsa ferêre manu.
Quo tot in Atvatico sudatas pulvere lauros?
Quo Pyrenæis claustra revulsâ jugis?
Stagnaque Teutonici populata bicornia Rheni?
Anne, invicta aliis, ut tibi præda fores?
Dî melius! Dî bella procul scelerata relegent:
Inque tuos hostes hoc, precor, omen eat.
Sin minor est medicina malo; diruspue peredit
Effera fraternæ viscera cædis amor;

UVA. BHSC. BU 06120

Da saltem votisque locum lacrimisque tuorum :
Et mea sit pietas non odiosa tibi.
Hæc moveant te justa ; trahant hæc pignora nostri,
Gallia funeribus non satianda tuis.
Ipse des Elysiis veniam Puteanus ab umbris :
Defleri cineres gaudeat ipse tuos.
Magna boni civis Puteanus fama togæque
Æquâ posthabitum se tibi mente feret.

ELEGIA IV.

Ad Iohannem Ludovicum Balzacium.

SI, quid agam, te vota tenent, Ludovice, doceri,
Quasque colam sedes, quo vagus orbe ferar ;
Magnæ etenim meque esse tibi meaque omnia curæ
Missa probat Latiis Musa diserta modis.
Illa nimis verax funesti nuntia Martis,
Quæ mala flet patriæ tam bene fata suæ,
Materiâ facunda velim meliore fuisset.
Hei mihi, sors potior quod mea sorte tuâ est !
Mitia Piëriæ meditantem commoda Pacis
Itala complexu me fovet ora suo.
Itala, vix iterum lustro jam pæne peracto
Visa meis oculis, nescia Martis, humus.
Sive ego Romanæ cineres Virtutis adorem,
Et rerum dominæ funus, amice, Deæ.
Lumina sive Anio mihi caligantia præceps,
Albaque Telegoni cum lare blanda, trahat.
Sive, ut nunc, Arni Clarium projectus ad amnem
Carmina non patria voce Latina sonem.
Dum consanguineos furiali lampade Celtas
Ebria cognatâ cæde Megæra premit ;
Borboniamque domum Stygiis circumtonat hydris ;
Prædaque sacrilegæ Rex puer apta Deæ est.

Qua-

UVA. BHSC. BU 06120

Qualis Agenoreis excepta penatibus olim
In caput armavit se, Melicerta, tuum.
Infelix Melicerta, Inoï pœna furoris;
Numina si sinerent te miserata mori.
At vobis sit terra gravis, quotcunque nocentes
Civili in patriam Marte jacetis humum.
Heu quanti Asturio poterant ex hoste triumphi,
Quantum illo licuit sanguine laudis emi!
Arma nimis magno constant tibi; parce, precamur,
Impia visceribus condere tela tuis:
Parce tibi miseræ, trux Gallia. supplicat ipse,
Ipse tuis furiis se satiavit Iber.
In palmam hic hostis nisi sufficit; ecce Britannos.
Auspice te sævum gens luat atra scelus.
Carnifices Regum fas oppugnare Britannos.
Manibus inferias det cruor iste tuis.
Tam justis civile nefas abolebitur armis.
Hac dominas placa, Gallia, laude minas.
Hac læsam pietate fidem nisi promta rependis,
Quanta per historias fabula semper eris!
Vestrum opus est, Reges, populo dare bella nocenti.
Vos in tecta faces ferre Britanna decet.
Vos æquare solo divulsos sede penates;
Ne qua malæ pubis sint monumenta super.
Atque aliquis dicat, desertam radet ut oram,
Navita; Dîs pœnas gens ea jure dedit.
Libertas armata nefas en damnat, & odit
Regia consuetas colla secare manus.
Lumine vos lento spectabitis, ultor in hostem
Quantâ sacrilegum puppe Batavus eat?
Funera quot volvat, quantum bibat unda cruoris;
Quam dubio gravidæ Marte premantur aquæ?
Vos sopor & Stygiæ vetet indulgentia noxæ
Asserere intrepidâ regia jura manu?
Si vester sibi vilis honos, miserescite cœli;
Et læsos meritâ cæde piate Deos.

Quando

UVA. BHSC. BU 06120

Quando erit, ut circum navali cincta coronâ
Trompiacas cantem Martia texta rates?
Velaque in Oceani tergo lacerata Britanni,
Sparsaque sanguineis transtra ferantur aquis?
Stragibus innumeri cum corporis innatet Orcas,
Perque Caledonium funera litus eant?
Cum gemitu orbarum pulsabitur insula matrum,
Et viduæ scindent unguibus ora nurus?
Funereos gavisa sonos imitabitur Echo.
Læta resultabunt planctibus astra suis.
Jam facibus videor rutilantem cernere pontum;
Debitaque æquoreis carmina ferre Deis.
Victima regali dudum devota sepulcro
En cadit. inferiis gaudeat umbra suis.
Augusti Lethæa bibunt oblivia manes
Sanguine in optato, seque perîsse juvat.
Nunc licet exsultes, Rex optime: justa feruntur.
Hoc tibi Libertas sacra cruore facit.
Læta Thetis virides inter micat æquore Nymphas:
Et raucâ Triton voce, Triumphe, canit.
Siste suæ, Nereu, scelerata cadavera ripæ;
Ne pia tam fædum concoquat unda nefas.
Redde bonæ quæso sua pignora, redde, parenti.
Præda canes, rapidas præda morentur aves.
Sic foveat diros incesta Britannia partus;
Sic reduces spectet fluctibus illa tuis.
Qualis in aërium cum Pelion iret Olympum,
Ossaque Peliacum devia ferret onus,
Armatos experta Deos tonitruque juventus
Matris in amplexum venit adusta suæ.
Hæc totos ego mentę dies mihi gaudia fingo,
Et spe non dubiâ jam, Ludovice, fruor.
Hæc spectare jubent Dî gaudia. sunt etenim Dî;
Et scelera haud æquo lumine tanta vident.
Fraternis agitata odiis & Marte pudendo
Gallia dum curas occupat ægra tuas,

At

UVA. BHSC. BV 06120

At bene, Socraticæ quod dant ſolatia chartæ,
Plenius ex ipſa Pace petenda tibi.

ELEGIA V.

Ad Sereniſſimum Principem Leopoldum ab Etruria.

TYrrhenæ, Leopolde, domûs certiſſime ſanguis,
Maxima Pegaſei laus, Leopolde, chori;
Mæcenas redivive, pater quâ prole ſuperbit
Arnus, & Aöniæ nil modo cedit aquæ:
Cernis, odoratos ut quælibet ara vapores,
Quælibet ut feſtas ventilet ara faces?
Dum patriis fert tura Deis urbs tota merumque,
Blandaque pro capitis vota ſalute tui.
Publicus ecce dies, qui te virtutis avitæ
Grande jubar populis præſidiumque tulit.
Gaudia teſtatur merito ſua; jure ſenectam
Neſtoreoſque vovet plebs tibi grata dies.
Nec dubium, pietas Superos quin tanta tuorum
Tangat, & has fruſtra non ſinat ire preces.
Me quoque, longinquo genitum licet orbe clientem,
Qua Batavam Tethys cærula quaſſat humum,
Me quoque Apollineis dare dona ſonantia templis,
Verrere me Latiam fas, Leopolde, chelyn.
Nomine non uno, non unâ compede pridem
Quem trahis adſtrictum, ſi tuus eſſe negor:
At junxere tibi me Pierideſque decuſque
Pieridum Pæan, me tibi junxit ebur.
Jam lyra cantatur Clariis Medicêa Deabus.
Ipſe tuo gaudet Cynthius ore loqui.
Capta ſono blandæ teſtudinis hæret, & inter
Caſtalis immemores currere plaudit aquas.
Hei mihi, quod parcâ maduerunt guttura lymphâ,
Alite Gorgonei quæ pede fluxit equi!

Hei

UVA. BHSC. BU 06120

Hei mihi, Mæonio quod non datur ire cothurno!
Laudibus est impar quod mea Musa tuis!
Tange tamen chordas age, Piëri. Sæpe voluntas
Muneris orba Deos, sit modo promta, capit.
Sæpe capit, rupto taurorum gutture centum,
Victima Tarpeium non minus agna Jovem.
Plectra parent alii Medicêis fœta triumphis;
Perque tuæ titulos pectine gentis eant.
Si mihi se totum Deus ingerat ipse canenti,
Et tonet æratoferreus ore sonor,
Non ego Laurentem, (Tuscis quo vindice terris
Barbaries volucri cedere jussa fugâ est)
Ingentesve canam Mavortia fulmina Cosmos,
Victorem toties hostis utrumque sui.
Delia te, Leopolde, crepent mihi plectra, sed unum;
O decus, ô magnis gloria major Avis.
Artibus ingenuis, quas robore protegis omni,
Principe dos non est dignior ulla viro.
Hæc datur, hæc par est virtutibus unica merces;
Unica Dîs æquat vos, prohibetque mori.
Qui semel Aönio stimulatur numine mentem,
Funeris ignaros ducit in orbe dies.
Non illi sortem Minoïas urna severam
Versat; inexpletum non subit ille Chaos.
Avertitque minas, & in hæc trux stamina Clotho
Juris avaritiæ nil dolet esse suæ.
Sola rogi victrix ea gloria, sola perennat.
Cætera Lethæis præda parantur aquis.
Ipsa Lycaönios quæ frenat dextra Triones,
Teutonici terror maximus illa soli,
Jungere laurigeris Parnasia sacra triumphis
Æmula Cecropiæ gaudet honore Deæ.
Nec patrio plus laudis habet Mavorte per orbem,
Quam quod ab adserto fert Helicone decus.
Vaticinor, Leopolde: dabunt te sæcula terris.
Semper in ore piæ posteritatis eris.

Tu

UVA. BHSC. BU 06120

Tu modo te præsta similem tibi laudibus istis,
Qua datur; & meritum fac tueare tuum.

ELEGIA VI.

In obitum Illustrissimi Præsulis Caroli Monschalli, ad Bernardum Medonium Senatorem Tolosanum.

ANnua, Medoni, prope fit mora; Delia pernox
Lustrat humum volucri jam duodena rotâ;
Semper iniqua viris præstantibus Atropos ex quo,
Grande quidem, solitum sed tamen, ausa nefas,
Monschallum terris lugentibus abstulit atrox,
Et meritam rupit sæcula ferre colum.
Illum autem Elysii Tempe fragrantia colles,
Arvaque perpetuo florida vere fovent,
Humanæ miserantem animo ludibria sortis,
Spesque metu gravidas, spe gravidosque metus.
Nec, præstent si fata viam, velit inde reverti;
Et par supplicio munus, amice, putet.
At te continuo lacrimarum rore fluentem,
Monschalli memorem te sine fine tui,
Mæstaque frigenti jactantem carmina busto,
Et surdi scopulis nomen inane viri,
Laomedontêæ nurui fax Lucifer audit
Prævia; in Eois Cynthius audit equis;
Audit & occumbens Tarteſside pronus ab unda;
Expers æquoreæ Parrhasis audit aquæ.
Nec miser admittis solatia. pabula menti
Una piæ fletus sufficit, una dolor.
Suntque voluptati suspiria: planctus amatur
Perpes; & in morem versa querela tibi est.
Cur invisa tamen medicina perutilis ægro?
Vulnera tractari cruda quid usque timent?
Exorare nefas Lachesin tibi. siste dolorem,
Siste: ferox lacrimis pascitur illa tuis.

Tot

UVA. BHSC. BU 06120

Tot gnatos vatum ipſe Deus, tot planxit alumnos.
Tænaris Aöniam negligit aula chelyn.
Quid fera Lethæo cumulas convitia poſti?
Jurgia quid Stygiæ nectis amara feræ?
Non cum mille tibi recludat ahenea linguis
Adſtrictas ſolido vox adamante fores.
Occidit ille mihi quoque flebilis, occidit, eheu!
Nec ſine ſingultu raptus, amice, meo eſt.
Et mihi, Medoni, favit quoque: me quoque amantem
Haud tulit averſa mente; nec ipſe negas.
Et, tibi dum meditor ſolatia, lumine pleno
Lapſa rigat madidas nunc quoque gutta genas.
Sed quota mœrentum duo pars ſumus! ecce Toloſam:
Orba parente gemit docta Toloſa ſuo.
Mugit Aquitani lamentis ripa Garumnæ,
Totaque funeſto Gallia tacta malo.
Vindice fraudatas Tritonia plangit Athenas.
Hæret in obtuitu cladis Apollo ſuæ.
Piëris humectat Pimpleïda fletibus umbram;
Fletibus Aönias Piëris auget aquas.
Mæroris facies eſt publica. tu tamen uſque
Fata quid inſimulas fraudis iniqua ſuæ?
Perſephonen lacrimis offendere parce protervam,
Et nimium promtas in tua damna manus.
Jam gravis hac pietate Deæ es: jam pectore lento
Invidiam mœſti ſat tulit illa ſoni.
Jacta lues magno convitia. pronus in iram
Vindictæ cupidas volvit Avernus aquas.
Quæ potuere dari, morituro fata dederunt;
Nomen ab arſuris ferret ut umbra rogis.
Nomen adhuc ſupereſt. hoc uno carpitur ætas,
Et Rhadamanthêi jura maligna fori.
Fama viro conſtat. properati flebile crimen
Staminis excuſat laudibus ille ſuis.
His datur exſuviis, atque hac in imagine, nobis.
Hac, ut adhuc præſens, parte colendus erit.

Atque

UVA. BHSC. BU 06120

Atque utinam penitus peredentem languida curam
Pectora decipiat terrâ Latina tibi !
Dî faciant, hîc sim tibi nunc comes ! Itala flentem
Te mihi lætanti quam bene sistat humus !
Mille ferat sævis fomenta doloribus almi
Ille soli Genius : forsan & ipse feram.
Nos modo Parthenope magni memoranda Maronis
Funere, Campani nunc trahat ora maris.
Romaque adhuc veteres spirantia busta triumphos,
Prisca suas vivum Roma cadaver opes,
Ruderaque exhibeat miranti proxima cœlo.
Blanda suburbani nunc vocet aura jugi.
Albanive lares, Anienave regia Tibur,
Prataque quîs Laurens læta superbit ager :
Telegonique parens quo Telegonusque recessu
Hæsit, & Egeriæ conscia silva suæ :
Quîsque recensendis non jam locus. inde teratur
Æmiliam sternens Flaminiamve silex :
Vel Ligures saltus, vel haruspicis atria Tusci,
Cultaque in Euganeo Pallas, amice, solo.
Interea comites fallant jucunda poëtæ
Tempora, quos Latium, Græcia quosve tulit.
Perque vices citharam, platani genialis in umbrâ,
Ipse meam pulsem pectine, tuque tuam.
Excutere hæc luctum poterant tibi : ferreus ægro
Spernere ni placidam pectore pergis opem.

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA VII.

Ad Ratboldum Hermannum Schelium, de vitæ privatæ commodis.

E quibus adveniat, si quæris, epistola terris,
Litore Tyrrheni mittitur ista maris.
Nec manus auctorem non prodit, & Heinsia Clio
Luminibus Schelî jam bene nota sui est.
Discere, si, rerum quid agam, cupis; otia Pæan
Fallit, & haud tacitæ Pierïs arte lyræ.
Adloquor interdum vos, quotquot abestis, amicos;
Et venit ad partes hic quoque Musa suas.
Aut numerosa tero vatum monumenta priorum,
Naso nec ingratam me duce sentit opem.
Sic bona jam vitæ pars fluxit. at Atropos æquo
Fila trahit fuso splendidiora tibi.
Sarcina te patriæ non detrectanda rogantis,
Æquora dum fervent Marte Britanna, tenet.
Nititur his humeris, hoc fixit pectore sedem,
Teque premit totâ publica mole Salus.
Sanguinis accedit laudi præclara togatæ
Gloria; par meritis vix tamen illa tuis.
Additur & Graiâ Sophiæ mens pasta medullâ,
Et Latii torrens flumine lingua soni.
Prospicit haud deses sollertia rebus agendis;
Area consiliis & patet ampla tuis.
Se tibi commisit, nulloque decentius umquam
Credita Libertas ore Batava loqui est.
Quem te Dî patriæ custodes, candide Scheli,
Præcipuum rarâ dote dedere virum.
At mihi quæ fuscant curarum nubila mentem,
Bellerophontêæ diluit humor aquæ.
Ista breves faciunt mihi sola negotia somnos.
Hac patriæ nitor consulere arte meæ.

Sævus

UVA. BHSC. BU 06120

Sævus Iber prædatus opes invasit avitas;
Omniaque eripuit, quæ potuere rapi.
Non valuit Musas auferre domestica nobis
Numina, non Clariæ fila sonora lyræ.
Nudam hostis virtutem & egentem veste reliquit.
Hac ego, ne desint cætera, dote fruor.
Hæc Avus in sedes devexit sacra Batavas;
Quæ domus invidiâ nostra fremente colat.
Arma egere nihil, victor, tua. divide prædam:
Hæc onus, hæc tantum sarcina vilis erat.
Salva manet nobis nec læsa tyrannide virtus;
Et viret, & de te sæve triumphat Iber.
Contemtor Fortunæ animus, contemtor honorum
Est mihi: quas Erato larga ministrat opes.
Divitias inopi sat magnas fata dederunt,
Quod mea paupertas non onerosa sibi est.
Haud mihi mens, Superos opibus lassare rogandis;
Quæve palam pudeat vota tulisse fero.
Placatura Deam nec perdo tura superbam,
Non bene quæ dubiæ nititur orbe rotæ.
Irritus aversæ cur blandiar? anne clientes
Fallere consuetam præstet ut illa fidem?
Non, ut Iber rursum instet atrox, inhiantia prædæ,
Mente minus placidâ, quam decet, arma feram.
Crastina nec melius si quid promiserit Eos,
Stulta terat noctem spes mihi, stulta diem.
Denique, dona datis si Dî potiora pararint,
Deprecer; & curtæ tangar amore rei.
Hic mihi dum supereſt animus, sum dives abunde.
Pauperies magnas maxima vexat opes.
Mens fati secura, & nulli obnoxia voto,
Attalicâ potior conditione mihi est.
Nulla facultates has purpura, regia tantas
Nulla, licet gazis adfluat, æquet opes.
Quæ semel excussit sibi frena modestia voti,
Indomitæ semper more recusat equæ.

UVA. BHSC. BU 06120

Me faciles ſaltus, & ab ambitione remotum
Rus celebraſſe juvet; me procul urbe mori.
Pinguis ubi aſſidue vigilacibus invia curis
Pectora privato ſub lare ſomnus alat.
Exagitent lites ubi nullæ, ubi nullus Alaſtor
Compoſitæ pacem mentis in arma trahat.
Ipſe Deus vatum Superis Helicona relictis
Incolit, aut læti prata Pheræa ſoli.
Quid ſoror, Ortygii dum pacat inhoſpita Cynthi,
Et juga Taygeti, Mænaliumque nemus?
Nil ope turriti peccabant oppida valli,
Dum Themis intactam crimine rexit humum.
Urbe nefas natum quodcumque. Superbia muris
Et Dolus & Livor Viſque Metuſque latent.
Rure nihil, Scheli, tranquillius. una voluptas
Rus mihi: rus unum commoda mille capit.
Arva nec innumeris verſanda ligonibus optem.
Sufficiet parvus, ſed bene cultus, ager.
Pectoris ingenui comes adſit & unus & alter,
Imbuit Hyblæo quîs Lepor ora favo.
Quæſtus amicitiæ lucrumque coagula fluxæ,
Nec redimenda meo quos trahat ære fides:
Sed liquidus candor, ſed Apolline ſaucius uno,
Vilia non ſolitus corda ſubire, calor.
Quicquid ab adloquiis ſuperabit temporis horum,
Auferat Aönio bibliotheca ſinu.
Vel male tuta lepus denti det terga canino;
Vel viduæ piſcem ſubtrahat hamus aquæ.
Menſa dapem, nihil artis habens, adponat inemtam,
Et de contiguo ferçula lecta ſolo.
Tethyos interea gremium ſcrutetur Eoæ,
Et lucri ignotam ſpeterat alter humum.
Terminus hic voto: patriis ſive oſſa tegentur
Sedibus, in ripæ margine, Rhene, tuæ:
Seu Getico Lacheſis mihi fila ſub axe ſecabit:
Seu quocumque tegar funus inane ſolo

UVA. BHSC. BU 06120

Belligeros Virgo quæ temperat alma Triones,
Par decus invicto Filia laude Patri,
Det veniam Musæ non invidiosa petenti,
Et probet adsensu vota modesta suo.
Crede; probet, Scheli. nam nil sapientius illâ,
Æquore qui lato cingitur, orbis habet.

ELEGIA VIII.

Ad Lucam Langermannum, Neapoli commorantem, me Florentiæ relicto.

TU nunc Parthenopes formosæ sedibus hæres,
Optima pars animæ curaque certa meæ.
Dumque abes, ipse à me videor mihi totus abesse;
Votaque sunt profugum cernere prima caput.
Mens desiderio comitis pia tabet ademti;
Spemque fovet reditûs, sed sine fine, tui.
Ecquid amor mihi, dic, periit tuus? ecquid in auras
Perfidus ingrato pectore cessit amor?
At non illa mihi de te promissa dedisti,
Mutua cum mœstum solveret ora Vale.
Alter in alterius complexibus hæsit, & æquus
Vincula divelli vix tulit arta dolor.
Naïsin hæc pietas non ignoratur Etruscis.
Arnus ad eximiam restitit ipse fidem.
Dumque oculos rari certamine pascit amoris,
In freta cunctantes tardius egit aquas.
Tene ego Pirithoum, Pyladen te, lente, vocabam?
Tene Menœtiaden Euryalumque meum?
Nunc absens præsente tibi sum gratior. en nunc
Longa potes sine me gaudia, dure, pati.
Forsitan illecebris Acheloïadumque doloso
Carmine Nympharum detineare miser.
Parthenopes fuge litus: habent hoc litus Amores:
Idalis hoc patrio prætulit ipsa lari.

UVA. BHSC. BV 06120

Vesvius undantem glomerat quod ad astra favillam,
Armat in hoc Paphius lampadas igne puer.
Omnia plena suis hic æstibus; omnia flagrant.
Hic & humus, medio flagrat & unda mari.
Mira loci facies: incendia provenit inter
Læta Ceres, pingui luxuriatque solo.
Sulphure candentes piceoque bitumine nimbos
Cernis inexhausto ructet ut ore gigas?
Phlegræis factura fidem monumenta triumphis
Ultor in Encelado Juppiter illa dedit.
Demens, qui thalamos intactæ irrumpere Phœbes
Ausus & in socerum ferre sit arma Jovem.
At pater infandos procul arcuit ignibus ignes,
Et trisidam diro condidit ore facem.
Missa Dionæum geminarunt fulmina vulnus.
Edomitam flammis hinc dat & inde manum.
Hic scopulos ubi flamma rapax, ubi saxa perurit,
Saxea cui non sunt corda, quid igne vaces?
Ah satis exactum Sebethide temporis orâ!
Hinc meus en revocant nos pater, inde tuus.
Cura mei tibi si non excidit omnis, adesto;
Et refer optatum cara sub ora pedem.
Vana quid admitto præsagia, certus amari,
Vixque tuâ quicquam firmius esse fide?
Tu modo, ne frustra mihi blandiar, alite passu
Tecta Dicarchêo proxima linque mari:
Baianosque sinus, & opaci palmite Gauri
Terga, corymbifero culmina sacra Deo.
Difficile est, fateor, tam blandâ sede revelli.
Me miserum, nimiæ quod bona causa moræ est!
Æquoris ignaram via festinanda sub Arcton.
Hæc quoque terra tibi, quo capiare, dabit.
Huc sese Argolico Latoïs ab orbe recepit:
Filia Mnemosynes hanc colit omnis humum.
Tempus erit, cum Trinacriam per Dorida vectos
Puppe Syracosius nos simul abdat ager.

Simi-

UVA. BHSC. BV 06120

Simichides ubi ſæpe tuus per fertile gramen
Blanda ſecuturas carmina pavit oves.
Æger ab exſequiis qui te medicante retractus
Spirat; Apollineam cui meditatus opem es.
Tunc & delicias Campani ruris, & Afro
Fatalem Hannibali perſpiciemus humum.
Jam mecum natale ſolum, patrioſque penates,
Regnaque Hyperboreæ Martia viſe plagæ.
Eia agili da calcar equo, ſeu terra probatur;
Sive ſalum mavis findere, puppe veni.
Fac modo, nil noceat, qui nunc pirata Britannus
Concitat inſano plurimus arma mari.
Regius hoſne animos cruor addidit? addidit hoſne,
Quæ jugulum inſonti dextra ſecabat hero?
Lora premant hoſtem ſervilia; lora, Batavi,
(Nil opus eſt armis) terga nefanda premant.
Hæc Læſtrygoniæ fæci ſatis, optime Luca.
Carbaſa da tuto tu modo cauta mari.
Lente, redi: da vela Noto, da fluctibus alnum.
Ipſa vocant puppim flamina: lente, redi.

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA IX.

Ad Ferdinandum Furſtenbergium, Virum Ill.

SIc, fidibus quæcumque cano credenda Latinis,
Fama velim facili combibat aure memor;
Et ſero Lethæa rogo poſt fata ſuperſint;
Muta meam mecum nec tegat urna chelyn;
Quæque patet pronâ tibi Caſtalis obvia ripâ,
Se quoque libandam præbeat unda mihi:
Gaudia ſuccurrunt ut nulla frequentius iſtis,
Quæ de convictu ſunt mihi nata tuo.
Una domus, mens una duos ſociabat amantes,
Et chelys alternam non ſemel una manum.
Quas grates, Tiberine, tibi, quas, Roma, pararim?
Vos mihi tam cultum conciliaſtis ebur.
Sæpe diem, quam longa fuit, ſermone peractam
Duximus æſtivi ſæva ſub ora Canis.
Sæpe ſupervênit properatâ nocte diurnus
Lucifer, adloquiis invida ſtella meis.
Auſa nec admiſſo ſuccumbere lumina ſomno:
Garrula vix ſolitas ora tulere dapes.
Vocibus ô quoties Latonia conſcia noſtris
Cum ſe proriperet, viſa venire mihi eſt!
Filius id Thetidis fuit Aſtoris ante nepoti:
Id Phryx Euryalo Niſus & ante ſuo.
Mutua certabat concordia, mutuus ardor.
Hæc mihi lis tecum ſola perennis erat.
Hæſit in ambiguo pulchræ pia palma palæſtræ:
Neutraque pars vinci, vincere neutra, tulit.
Perſtet, & abſentes par jungat nexus amicos;
Vinculaque ætatem non labefacta ferant.
Pondera ne votis deſint ſua faxit Apollo;
Auſpice quo nobis hic adolevit amor.

Spumea

UVA. BHSC. BV 06120

Spumea nos Anienis aquam per saxa ruentem,
Plurimus illiso qua tonat amne fragor,
Nos una dominæ senium lustravimus urbis;
Prisca suburbani nos monumenta soli.
Thybris amicitiæ fuit arbiter. ille duobus
Contiguo cultos alluit amne lares.
Proxime, dic, sociis Tiberine penatibus, eia;
Pectora, dic, tetigit sanctior ecqua fides?
Dic, si voce mei vox blandior ulla sodalis
Per vada stagnantes flava moretur aquas.
Hanc certe è patrio Tiberinides amne sequuntur,
Plaudit & argutis Naïas uda sonis.
Ipsa etiam hanc pronis bibit auribus Ilia vocem,
Ilia quam Marti tam tibi grata parens.
At colle ex omni lætum vaga succinit Echo,
Nec gemere Ismarium jam memor ales Ityn.
Ah quanto tua me, Tiberine, beatior unda est!
Vatis Apollineo cui datur ore frui.
Tu modo fac sacrum serves, pater optime, Musis,
Quod tibi Teutonico venit ab orbe, decus.
Me nunc ad patrios promtum tenet ire penates
Gallia Romuleæ nomen adepta togæ.
Hic ubi Medoacum Euganeis modo collibus ortum
Intuor; aut Athesin, docte Catulle, tuum.
Tu quoque Virgilium quæ Phœbo lympha dedisti,
Fatidicæ Mantus lympha beata, trahis.
Aut electrifero qui volvitur amne per agros,
Me Phaëthontêi detinet unda Padi.
Unde ego nubiferam perrumpere molior Alpem,
Et nive canentis scrupea terga jugi.
Interea decus ille meum, meus ille sodalis
Quidnam agit? herboso num fovet umbra sinu?
Margine dum solitæ citharam moderatur in undæ,
Et canit æterni numine digna loci.
Mulcet an auratæ testudinis illice cantu
Chiïa purpureos Musa decora sinus.

UVA. BHSC. BU 06120

Ipsa fidem vicina neci cui cessit eburnam
Maxima Pontificis dextera, Phœbe, tui.
Urbanus nunc alter, agro nova gloria Tusco,
Piëriis claram civibus ornat humum.
Hunc meus ille sui veneratur Apollinis instar;
Huic terit, huic Clarias obsidet usque fores.
Quicquid aget, memori non excidit Heinsius ore.
Jam satis expertam novimus ante fidem.
Dum loquor, aëriæ salebrosa cacumina rupis
Pæne meos tangunt, mox superanda, pedes.
Care vale Fernande. viam meditamur: eundum est.
Me rigor Alpinæ jam premit, ecce, nivis.

FINIS ELEGIARUM LIBRI SECUNDI.

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

ELEGIARUM LIBER TERTIUS,

AD

OCTAVIUM FALCONERIUM,

V. NOB.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BV 06120

NICOLAUS HEINSIUS
OCTAVIO FALCONERIO
V. Nob. S. P. D.

Unè populariibus tuis amicos & familiares haud paucos percenſere detur, optime de me meritos, rebuſque meis lucalenter occaſione non una gratificatos, quorum ſtudia aſſidua ac conſtantem adfectum perſancte etiamnum, uti par eſt, & per quam religioſe colo; vix occurrunt tamen in hoc numero, qui curatius operoſiuſque me demerendum ſibi proponant, quam tu, Octavi Falconeri, eruditiſſime juxta atque nobiliſſime Vir. Ac ceteros quidem horum, de quibus nunc ſit ſermo, ocellus ille terrarum Italia veſtra, bis, quod ignorare non potes, à me perluſtrata, conciliavit mihi; te ex complaribus Italorum ſolum ac unum in noſtrâ Batavia cognoviſſe primo atque intueri eſt datum. Quippe cum caſus fortuitus ante hoc ſexennium in tabernam deverſoriam apud Amſteledamios temeque conduxiſſet una, que manſionem nocturnam & communem menſam utrique noſtrum tum præbebat, cumque tu illic me coram de me ſermonem, tamquam de abſente, benigniter admodum inſtituiſſes, cujus indagandi compellandique deſiderium, non ſine multo mei nominis præconio, ignotus apud ignotum profitebaris, gratulatus ego mihi tam inopinos ſucceſſus, quis eſſem præ me confeſtim tuli, teque ex illo adſtringendum mihi eſſe nexu artiſſimo ſum arbitratus: cujus ſingularem doctrinam plurimâ conditam ac perfuſam comitate, ex tenui utcunque iſthoc congreſſionis breviſſimæ guſtu, jam abunde perſenſeram. Alter igitur ab altero ſic tum diſceſſimus, ut ego poſt dies paucos Hagæ Comitum me tibi denuo occurſurum ſponderem. Evénit tamen me nolente, ſive ex verbis dubiè intellectis, ſeu fortunâ ſummam voluptatem, quam voto jam præceperam, mihi invidente, (adeo nihil humanis rebus ſolidè ac conſummate lætum adfulget) ut ad conditum tempus tu me Leidæ, ego te Hagæ fruſtra quæreremus.

UVA. BHSC. BU 06120

remus. Ita, tu, quod minime voluissem, vix salutatus mihi, vix in transcursu cognitus, pedem è fœderato Belgio ad tuos retulisti. Fluctuabam ego interim te nequicquam investigando, gravissimasque de adversa sortis hac iniquitate querelas congerebam, cum haud multo post ex urbe æternâ litterarum nonnihil abs te comparet, idque verbis cumulatum adeo ad omnem benevolentiam formatis, ut spe dejectus animus & mœrore confectus in statum alacritatis pristinæ continuo resurgeret. Hoc instauratæ inter nos necessitudinis auspicium fuit. Exinde quamquam uterque peregrinationibus frequenter accincti, ac sedem fixam stabilemque vix nacti, domo paternâ utplurimum aberravimus, nil tamen officiorum abs te intermissum est, nil benignitatis procul habitum, quo me alligares tibi ac conjungeres quam tenacissime. Cui pulcherrimo instituto ne aut eventum opineris defuisse, aut rem tibi cum ingrato homine esse censeas, etsi tua illa merita omni hostimento majora sunt, ecce tibi qualemcumque ingenii nostri à publicis occupationibus vacui atque feriantis partum, Elegiarum, inquam, libellum, ex quo Italiam vestram postremò reliqui, à me chartæ commissum, indicem testemque singularis illius studii, quo te ac res tuas, Falconeri jucunde, meritissimus complector: dum in scriniis meis circumspiciuntur majora, dumque alia è bibliothecæ forulis à me colliguntur, quæ tuo illi ingenio, tam excitato, tam sublimi, uberius respondeant, & ad eruditionem tuam omnibus numeris absolutam magis adsurgant. Amemus interim, quæso, constanter; ac mutuis officiis porro certemus alterni. Ego quidem conatu omni effectum dare enitar, ne quod abs te constringi inchoatum est nodo pulcherrimo vinculum, in me labefactari aut abrumpi videatur. Vale, vir politissime, & ita de me existima: ut neminem inter mortales dari aut inveniri posse tui observantiorem persuadearis. Exarabam Holmiæ Suecorum Anno, CIↃ IↃC LXV, Kalendis Aprilibus.

ELE-

UVA. BHSC. BV 06120

ELEGIA PRIMA.

Manes Trompiani.

TRompiacos luge cineres & opima tropæis
Funera, dux Clarii Calliopêa chori:
Orgia si Mystæ colimus pia rite Batavi,
Nec tuus in nostro litore friget honos.
Patria, cur dubites laniandum solvere crinem?
Fle tibi devotum, fle, miseranda, caput.
Quem Tartessiacus Phœbêa cubilia limes,
Pleumosio toties quem sale fusus Iber,
Signa triumphato referentem bellica ponto,
Et spolium captas horruit usque rates:
Qui tibi sollemnes cumulabat in æquore palmas;
Qui tibi præsidium, qui tibi murus erat;
Occidit. atratam, Libertas, indue vestem;
Et ducis ad tumulum pectora plange tui.
Si fletu tamen urna finit se tanta rigari.
Nobiliora cruor justa Britannus erunt.
Has ille inferias regalibus obtulit umbris:
Has cineri lacrimas exigit ille suo.
Victima, quid cessat? jugulis incumbe nefandis,
Ense parentandum, Patria mæsta, duci est.
Noster acervat adhuc inimica cadavera Nereus,
Vixque per obsessas funere reptat aquas.
Hæc tibi dux monumenta sui præclara reliquit.
Hoc facinus dextræ jam morientis erat.
Laus imitanda, viri. necdum satiavimus iram.
Turba fugax aliâ clade terenda cadat.
At tibi jus palmæ, perjura Britannia, nullum est.
Martia se tergis ingeret umbra tuis.
Te domiti post busta rogi premit ecce per undas
Trompius, inque suo milite victor ovat.
Hac nece neu nimium, dux magne, superbiat hostis;
Pro te bella tui nominis horror agit.

Marmo-

UVA. BHSC. BU 06120

Marmore de Pario patriâ ſe tollat in actâ,
Inconſumta pyræ qui tegat oſſa, lapis;
Hinc velut à ſcopulo, deflectet vela Britannus,
Et perculſa retro nunc quoque tranſtra dabit.
Salve anima, Elyſiis digniſſima vallibus hoſpes:
Picta renidenti quam fovet herba ſolo,
Et choreæ, & nuſquam terris percepta voluptas;
Saucia nec curis, nec malefida quies.
Te tuus hic notis complectitur Heinius ulnis,
Et ſocium lateri jungitur uſque latus.
Heinius, ignoti populator maximus orbis;
Æmulus Æſonio navita laude Duci;
Auratum Heſperii qui litore vellus ab Indi
Pertulit ad patrios te comitante lares:
Exceptus qui colla tuis moribunda lacertis:
Vincere cui per te poſt ſua fata datum.
Hîc dextra Herculeis Hemskerkia Gadibus horror,
Prodiga magnanimi ſanguinis illa manus.
Et, face lugendam Tameſi dum ſævit ad Ilvam,
Galius Etruſcis fama perennis aquis.
Hîc plures de gente tuâ, quos publica traxit
In feſtinatam vulnere cauſſa necem.
Tempora quos inter roſtro redimitus adunco
It comes heroo dux meus umbra gregi.
Invia ſunt ſolis nemorum ſecreta Britannis.
Sedibus hos aliis Styx inamœna manet.
Rex tamen, & Regi fidiſſima caſtra, ſed illi
Turba piis habitant non numeroſa jugis.
Incipe ſacrilegum damnare, Britannia, Martem;
Tu domini jugulo noxia terra tui;
Gens obſeſſa ſalo, ſibi quam Natura relictam
Provida ſemoto non tulit orbe capi;
Crudas flecte manus, & adhuc à Rege rubentes;
Ne via ſit Furiis in ſcelus omne tuis.
Quid juvat annales onerare nocentibus actis?
Fæde quid inceſtas ſæcula noſtra pudor?

Crimi-

UVA. BHSC. BU 06120

Crimina cur faſtis hæc diſſimulare negatur?
Hiſtoricam ſaltem lædere parce fidem.
Invidiam quæ charta parem furialibus armis
Fecerit? exæquent quæ ſcelus ora tuum?
Non prius auditas meditemur, Erinnyes, iras.
Quæ ſatis in pœnam flagra, quis anguis, erunt?
Te ſitis infandæ ſtimulet ſcelerata rapinæ,
Impia dum penſes ſanguine furta tuo.
Stulte, quid adſcribis privato Nerea juri?
Libera Naturæ legibus unda patet.
Mercibus innocuis detur via. regia noſtræ
Haud emere, haud norunt vendere, colla rates.
Inſtitor hac ambit ſibi nil de merce Batavus.
Merx hæc, prædo, tua eſt: lucra fer inde tibi.
Quis ſervire ferat famulis elementa ſub armis,
Et dare plebeio terga ſubacta jugo?
Neptuno quid vincla, ferox pirata, minaris?
A gladiis cervix tuta ſit illa tuis.
Dira quid ultori non traditur inſula ponto?
Lenta tridentiferam quin ſubit ira manum?
Ad ſcelera aut ſi nunc ceſſatis tanta, quid orbem
Deucalionêæ depopulaſtis aquæ?
En manifeſta fides; Stygias comitata ſorores
Regnat in hoſtili ſæva Megæra ſolo.
Barbara trux Phlegethon placitoque aſſueta cruori
Quidlibet audentum pectora tortor agit.
Fallimur? an præceps rabidæ veſania mentis
Cedit, & attonito frangitur ira metu?
Cœperunt meminiſſe ſui: labat enſe remoto,
Et manus ad ſolitum deficit ægra nefas.
Jam trepida ſtat fronte pudor, poſt crimina ſerus:
Conſcia flagitii jam gelat ora rigor.
Perfida regales agitent præcordia Diræ:
Trompia funereis terreat umbra minis.
At, patriæ, tibi, ſancte parens, ego juſta quotannis
Daphnææ merito frondis honore feram,

UVA. BHSC. BU 06120

Serta triumphalem decuerunt laurea vultum:
Conveniunt tumulo laurea ſerta tuo.
Bellatura pios venerabitur ordine Manes,
Atque Arabo pubes ture Batava colet.
Palmarum auſpicium petet hinc omenque triumpho
Gloria par proavis noſtra juventa ſuis.
Tu ſtimulos in tela dabis, tu jura tropæis
Victor & æquorei Martis alumne cinis.

ELEGIA II.

Ad Theodorum Graſvinckelium equitem, ſuper re Batavorum annonariâ utiliſſimis ab illo commentariis illuſtratâ.

DUlce decus Themidi, decus ô memorabile Phœbo,
(Nam micat in titulis numen utrumque tuis)
Tertia nunc, Theodore, Ceres te nacta patronum eſt:
Nec plus Triptolemo debuit ante ſuo.
Spicea Daphnææ ſuccedant ſerta coronæ;
Mitis Apollineum cingat ariſta caput.
Hæc tibi ſervati meditantur præmia cives,
Pro Dodonæi debita fronde Jovis.
Zoïle, ſi dubitas plauſum dare, paſcere quercu:
E Theodorêa nos juvet eſca manu.
Æmule Piſonum, Frugi, Theodore, vocandus,
Qui patrio diram pellis ab orbe Famem.
Te duce tuta forent Capitolia; te duce pubes
Martia Manliacæ non eguiſſet opis.
Staret adhuc, Pœno fruſtra bellante, Saguntos;
Tantaque tam magno non emererere fides.
Cernis, ut aligeros frenet tibi ſacra jugales,
Ut tibi multifidam ventilet Henna facem?
Nocturnis furiata choris exſultet Eleuſin?
Nec Dea mœrori jam vacet ægra ſuo?

Qualis

UVA. BHSC. BU 06120

Qualis ad Iäſium Curetidos arce ſub Idæ,
In Jovis amplexus ibat ut ante ſui;
Sic tibi ſe facilem, ſic ſe tibi præbeat æquam?
Munus ab ingenio fert Dea grande tuo.
Perſephonen tanti miſeræ quæſiſſe parenti eſt.
Non minus erepto pignore pignus habet.
Plaude, parens frugum mitiſſima, plaude, repertrix;
Et tibi ſacratam perge fovere manum.
Sera tuo genero, (niſi pœnitet eſſe benignam)
Sera precor natæ præda ſit ille tuæ.

ELEGIA III.

Sereniſſimus Princeps Carolus Guſtavus ſceptro Suecico donatus à Chriſtina Auguſta, majori meritorum quam cognationis jure.

SCeptra triumphati fatalia cornibus Iſtri,
Sarmatico toties ſparſa cruore prius,
Invictis geſtamen avis, cape præmia, Princeps
Inclyte, virtuti jure dicata tuæ.
Nil genitore minor Guſtavi filia magni
Hæc dedit, hæc voluit muneris eſſe ſui.
Sceptra quidem per ſe nuſquam ſpernenda, quibuſque
Donatrix pretium non leve tanta facit:
Laus ſed prima tamen, ſed laude ſuperbius omni eſt,
Si cui danda forent, danda fuiſſe tibi.
Hanc tua mercedem pepigerunt arma, nec Arctos
Vindice te victrix deſtituenda fuit.
Dona ſubite manus exoratura rogandas,
Blanda reluctatas dona ſubite manus.
Teutonici memoranda ſoli Chriſtina tropæis
Munus ad heredem vos jubet ire ſuum.
Expugnet diadema ducem regnare coactum.
Flecte recuſantem, ſponte petendus honor.

UVA. BHSC. BU 06120

Amolita decus regale virentibus annis,
Laſſaque Fortunæ ferre faventis onus,
Et ſceptrum meditata ſui Chriſtina regendæ,
Jura negat populis, ne ſibi jura neget.
Emta nimis magno Sapientia, prodiga ſceptri,
Debuit hoc ſtudiis non licuiſſe tuis.
Tempeſtiva parum Sapientia: Regibus orbo
Carolus imperio ni modo ferret opem.
Nec conſanguineus partem favor occupat ullam
Hinc ſibi. laus meriti, Rex, ea tota tui eſt.
Cedite jura procul Naturæ, cedite leges.
Regia, Rex eſto, qui gerit acta, meus.
Librando par nullus erat tibi, Carole, ſceptro.
Gloria natales præterit iſta tuos.
Teſtis Hyperboreo ſpolium Germania Marti,
Et quæ Danubius te duce bella gemit.
Crede mihi, Virtus datur unica Regibus heres.
Libera cognati ſanguinis illa jugo eſt.

ELEGIA IV.

In Poëmata vernacula Conſtantini Hugenii Zulichemii.

QUem nitor eloquii ſaturatus acumine denſo,
Venaque Pegaſeæ prodiga tangit aquæ;
Nec peregrina Venus, ſed ut æquore nuda Batavo
Nat dea, rorantem vertice fuſa comam;
Lector, ades; nectarque merum, quod Hyantia rupes
Edidit, ambroſias & venerare dapes.
Nil mortale ſonans vocem Zulichemia Clio
Movit, & auratæ ſtamina terſa lyræ.
Linguarum qui mille capax, qui voce difertus
Innumerâ Clarios duxerat ante choros,
Nunc larvam vates ſibi detrahit; oraque demum
Enthea dat patriis exoneranda modis.

Sive

UVA. BHSC. BU 06120

Sive levem induitur ſoccum pede, ſive cothurnum;
Hic decet Hugenium, nec minus ille, pedem.
Miratus jam Teuto virum ſua plectra terentem;
Mirati Tuſcus, Celta, Britannus, Iber.
Ipſa parens Venerum numeros Actæa vetuſtas
Hos amat, hos confert Martia Roma ſuis.
Talis adoptivi Vertumnum copia cultûs
Dat comitem ſupero conciliatque Jovi.
Carpathii felix ſic gurgitis incola Proteus,
Sic Thetis Hæmonios juſſa ſubire toros,
Ora modum variant ſibi convenienter in omnem;
Et decet alternos non ſua forma Deos.
Dextera, conſiliis longum explorata fideque,
Se tibi nunc alio, patria, Marte probat.
Hæc eſt illa manus, toties tibi contulit ægræ
Quæ certam dubiis obvia rebus opem.
Conſcia Naſſaviis toties en cura triumphis,
Trux ſibi fatalem quam modo ſenſit Iber,
Nunc quid deſes agat, quæ ſolvat in otia mentem,
Otia victuro fæta labore, vides.
Præpetis ingenii te tolle ſonantibus alis,
Nam potes, æternæ laudis alumne ſenex.
Omne ſeca ſpatium metamque volubilis ævi;
Perque polos pennâ remige nixus abi.
Nec monſtranda via eſt. tua te veſtigia ducant.
Jam fugis ignavam non novus ales humum.
Sic in prole, patrem meritis referente, ſuperſis;
Nec niſi ſit ſoboles unica rapta tibi.
Natorum ſic ſera rogo te triga reponat,
Quîs præit exempli fulgor ad alta tui.
Gnata pudicitiam matris ſic æquet; & illâ
Te gener efficiat conjuge dignus avum.
Invidioſa tibi ſors obtigit, inclyte vates,
Natorum hinc felix laudibus, inde tuis.
Curarum genitrix non obtudit aula canentem,
Caſtraque per fremitus irrequieta ſuos.

UVA. BHSC. BU 06120

Interpellator, licet undique plurimus urgens,
Propositum Cyrrhæ non tibi rupit iter.
Qui magnas lassare solet, qui frangere, mentes,
Te fovet incumbens exstimulatque labor.
Sunt & opes; est usus opum. doctrina beatum
Culta polit pectus, cognitioque sui.
Artifices salvete manus: quibus addere laudem
Nec mea sat dignam Musa, nec ulla, queat.
Vos Pæan, vos cana Themis, vos dextera Pallas,
Principis invicti vos memorabit amor.

ELEGIA V.

In Gulielmi Pisonis Historiam naturalem Brasilicanam.

AVia mutandis dum mercibus æquora fervent,
Quæ lucri cupidâ puppe Batavus arat,
Piso meus, non ille sequi mortalia natus,
A fragili tutas tempore captat opes.
Fama viro nomenque placent, quîs fata moretur:
Per mare nec dubiam sternit in astra viam.
Hoc vehit occiduis spolium prædator ab Indis:
Has illi exsuvias victa paravit humus.
Quamlibet immensum non frustratura laborem
Præmia mercedis fert dator ipse suæ.
Incitat hortatrix, validumque, capacia laudis
Pectora quo stimulet, Gloria calcar habet.
Otia Lethæâ nil distant sorte; quiesque
Turpibus æquiperat nos taciturna feris.
Carpere sæcla labor Superis parcentia solis
Nominis æterni conciliator amat:
Vixque favet votis sudore carentibus æther,
Ardua plus humili quem prece cœpta movent.
Ignea mens natale solum sibi vindicat orbem,
Et patrio spatium pro lare solis habet,

Sic

UVA. BHSC. BU 06120

Sic aditæ magno ſe jactant Hercule Gades,
Et ſtabula Heſperii Geryonêa boves.
Nec Bacchum ſua cepit humus: vos cinnama teſtes
Turaque, longinquo munus ab orbe datum.
Quod fuit Atridæ, medicis Podalirius herbis
Sævaque conſilio bella regente potens,
Luctantem exagitant dum longa decennia Troiam:
Id tibi, Maurici maxime, Piſo fuit.
Piſo ſagax, Natura, tuos, fugitiva, receſſus
Et tacitâ cæcos pandere nocte ſinus;
Belligeri comes arma Ducis metuenda ſecutus,
Præcipites Phœbi quâ rota vergit equos.
Dumque per optatæ diſcrimina lucis emendas
Et rapit & raptas quiſque recondit opes;
Naſſavius victor dum diruta Marte Batavo
Mœnia dat flammis, Nerea claſſe domat;
Piſo Machaoniæ meditatur prælia luctæ:
Fauſtaque cum Lacheſi, cum Styge, bella gerit.
Piſonem famæ ſitis intempeſta fatigat.
Cura viro ſomnos efficit illa breves.
Hæc trahit, hæc ſtudio victoria quæritur omni,
Palmaque, ſed nullo facta cruore nocens.
Jamque ſub examen, quodcumque dat Indica Tethys,
Mittitur, & tellus barbara quicquid alit.
Ut neque ſit regio pretioſis orba metallis;
Gramine nec campi, fruge nec arva vacent.
Arceat ut rapidum densâ nemus arbore ſolem:
Æquet arundineus cerea mella liquor.
Præpete quam variâ tranetur Americus aër:
Obſeſſam coluber ſente quis adſet humum.
Quadrupedum ſaltus ut inundet turba ferarum:
Bellua piſcoſas quæ populetur aquas.
Plaga quibus ſuccis, vel ab aſpide fixa vel arcu,
Cedat, & in certam febris itura necem.
Denique conſpicui ſi quid novus obtulit orbis,
Pectora non pigeat quo ſtudioſa capi.

UVA. BHSC. BU 06120

Morborum domitor, Naturæ myſta latentis
Intime, quæ titulis Muſa ſit apta tuis?
Laudis avaritiæ qui mentem raptus honeſtæ,
Nulla quod evertant ſæcula, condis opus.
Viſcera qui rerum rimaris inhoſpita: per quem
India jam noſtræ non peregrina domi eſt.
Sic te dos celebret non unica; ſive potentis
Eloquii, medicæ ſive ſit uſus opis:
Te lector volvatque frequens, placitumque revolvat;
Plurimaque adſciſcat bibliotheca ſibi.
Piſo, pater Venerum, cor amabile, Piſo, Leporum;
Seria ſive libet promere, ſive jocos:
Pectora ſordentis non fracta cupidine lucri
Altius humanâ fer ſuper aſtra viâ.
Quod facis, aſſuetam jam plauſibus erige mentem;
Mnemoſyne quo te laudis amica vocat.
Ipſe tibi præſta non interiture, medenti
Plurimus acceptam quam tulit æger, opem.
Longum iter extremos cum ſis molitus ad Indos,
Pagina conficiet plus tibi docta viæ.
Huic nil per terras, per terris latius æquor,
Magnus, inacceſſum, qua patet orbis, erit.
Indue barbariem domitura nepotibus arma:
Naviget exemplo poſtera turba tuo.
Cedat amans latebras Inſcitia: cedat, iniquo
Rodere qui Livor Pallada dente ſolet.
E debellato conſpectius hoſte tropæum
Nemo tulit. Dux hoc non neget ipſe tuus.

ELEGIA VI.

In exceſſum Alberti Rubenii, ad Gaſparem Gevartium.

TIgris Achæmenio non me lactavit in antro,
Caſpia Caucaſeæ non dedit urſa nivi;

Paſta

UVA. BHSC. BU 06120

Pasta nec evomuit ratibus Zanclæa Charybdis,
Aut Scylla in rabidos inguine versa canes;
Mitibus ut lacrimis, Gevarti, in funere caro
Parcere sustineam, nec mihi flere vacet.
Tolle (quid hic faciunt?) solamina: tolle, precamur.
Vulneribus non hæc apta medela meis.
Crudus & in cursu pleno dolor hactenus ullam
Fomenti impatiens ferre recusat opem.
Parce manu medicâ tractare, coïverit ulcus.
Plaga cicatricem ducat acerba sine.
Utile nunc stimulos, nunc calcar subdere flenti est.
Sic mala consuescam lenius alta pati.
Ut me mæstitiæ domet impetus, utque fatiget;
Et capere incipiat seque tuamque manum.
Causa piis utinam lacrimis minus æqua daretur!
Me miserum! cur tam justa querela mihi est?
Fertur in exsequias Rubenius: ille vetusti
Optimus exactor temporis, ille sui.
Qui latebras rerum labyrinthêosque recessus
Norat, & abstrusi terra quod omnis habet.
Vivida Candoris fucum metuentis imago,
Quamque sibi Theseus gaudeat esse fidem:
Congeries Venerum, Latii penetrale Leporis,
Illita Mopsopii nectare lingua favi.
Quem pater artifici curâ limarat ad unguem,
Laudis in id summam contuleratque suæ.
Gevarti, pater ille; nihil cui maxima rerum
Roma quod opponat, par nihil Hellas habet.
Cedat, Pellæo vel judice, Cous Apelles;
Qui tabulis animas addidit ante suis.
Hac pingi modo nata manu Cytherêa probarit,
Rorantem æquoreo gurgite passa comam.
Addita doctrina est, & lata scientia rerum:
Qua pater heredem vidit in arte suum.
Vidit, & æquari non invidus, impulit ultro,
Dum dubiam se dat palma, profusus amor.

UVA. BHSC. BU 06120

Ardua jamque ducem poſt terga reliquerat heres
Impiger, & Lycio gloria certa Deo.
Stamine nil queſtus Lacheſin properare ſecando,
Inque ſuâ genitor prole ſuperſtes obit.
Felicem bis terque ſenem! ni clade nefandâ
Tangeret immeritam Parca cruenta domum.
Unicus, & patrias & avitas indole laudes
Jam complexe nepos, tolleris ante diem.
Primævum teque addis avo nil tale voventi,
Umbra per Elyſium ſanguinolenta nemus.
Quem canis irato furibundi dente necatum
Luſtravit Stygio nauta ter amne ſenex:
Ingemuitque videns deploravitque peremtum;
Perque reluctantes ferre negavit aquas.
Heu miſerande puer! tabo ſanieque fluentem
Fovit adulanti Cerberus ipſe jubâ.
Tum placidè adlambens ſe gutture lingua trifauci
Exſerit, ah quanto mitior illa tibi!
Urna recuſavit tibi ducere Gnoſia ſortem:
Eumenis invitas immaduitque genas.
At pater orbari (ſi jam pater ille vocandus)
Haud tulit, ac votis ſe ſupereſſe ſuis:
Vulneraque effudit largos per hiantia fletus,
Arcuit inviſum teque cadente diem.
Invidiâque Deos oneravit, inania queſtus.
Gaudia jamque miſer plangere ſola vocat.
Hic labor, hoc ſtudium eſt: huc tota negotia ſpectant;
Et curas, curis ut moderetur, alit.
Jam Senecam verſare piget: nihil excipit ultra
Livius aſſuetam pagina trita manum.
Cum faſtidito removetur Apolline Pindus:
Cuncta ferunt lacrimæ tempora: ſomnus abeſt.
Lenta virum tabes depaſcitur: urit edendo
Mæror, & attenuans viſcera febris obit.
Mox colus inciſa eſt: nimiis ne fata querelis
Noxia funeſtet, ſeque, piumque Larem.

Vita

UVA. BHSC. BU 06120

Vita tibi, brevis illa licet, Vir amice, negatur:
Stamina sed meritis sunt diuturna tuis.
Non ita Barbaries miseros caligine Belgas,
Ut tibi sit merces laudis ademta, premit.
Pascere & exsulta, Styx, cladibus, invida, tantis.
Nil agis, ah luctu non satianda meo.
Laus fugit obscœnæ tactum Rubenia Lethes:
Faucibus excutitur præda cupita tuis.
Ingeniis si durat honos, Clariamque cohortem
Si stata de domito tempore palma manet,
Ibimus in famam: nec sæcula sera negabunt,
Meque, Alberte, tuum, teque fuisse meum.
Eia age, Gevarti, Phœbo stimulante fleamus,
Quod ferat ætatem, tersa quod auris amet.
Vos pia fraterno vinxit Concordia nexu:
Patria vos, studium vos sociarat idem.
Pirithoum Ægides, Pylades ne jactet Orestes;
Par amor, & pietas major, utrique fuit.
Quid meditor dare verba mihi? dolor avocat ægrum,
Interpellanti surdus, amice, lyræ.
Mœnia Mæoniden flerunt septena: nec altum
Profuit Argolici Troia laboris opus:
Nata nec Alcinõi, nec Ulyssi juncta Calypso,
Clarave Telemachi Telegonive parens.
Turbat aquam lacrimis mærens Aganippida Clio;
Marcuit arentem Pegasis umbra comam:
Solaque dat gemitum responsa petentibus augur
Delius; hæc adytis vox sonat una suis.
Heu! ubi nunc tibi, Phœbe, lyra est? ubi præscia laurus?
Nunc ubi non tonsæ, dic, nitor ille comæ?
Gaudia Pimplæo Rubenius omnia ruri
Abstulit: Aöniis lex erat ille choris.
Præda rogo (modo quantus!) abis. vix ossa supersunt,
Hei mihi, jam lacrimis ossa riganda meis.
Quem licet ostentent de corpore fata triumphum,
Pars melior Stygiæ nescia sortis agit.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA VII.

Rerum humanarum vicissitudines. Ad Radboldum Hermannum Schelium.

FAta volubilitas mortalia versat in orbem,
Usque levans, Scheli, pressa, levata premens:
Inque pilæ speciem, quam lubricus incitat error,
Nos Deus instabiles nostraque motor agit.
Ipsa, capax rerum, stellantis machina mundi
In gyros, rapidi turbinis instar, abit.
Vita mare est humana, vagis objecta procellis;
Et portus nusquam, qui subeatur, adest.
Sunt brevia & Syrtes, sunt saxa latentia ponto;
Sunt vada, remigibus quæ necopina nocent.
Prævideas utcumque malum, caveasque videndo,
Qui trahat in scopulos lintea, fluctus erit.
Hos solis vitare datum est felicibus hostes,
Fors quibus incertam dirigit æqua ratem.
Plena via est salebris, scrupisque morantibus axem;
Et non impingens quam rota rara terat.
Quamlibet exacto post victa pericula cursu
Sistet inoffensum vix tibi meta pedem.
Lumine res hominum fixo metire caducas;
Maxima pars nostri lapsus & error erunt.
Consilium miseris primum (mihi crede) negatur:
Et ratio adversis plurima rebus abest.
Deserit adflictas cum spe sollertia mentes:
Vixque datur votis propositoque locus.
At fore præsidio veteres tibi reris amicos.
Videris, optatam si ferat ullus opem.
Omnibus utilitas curæ sua: lucra petuntur.
Rebus in angustis respice; solus eris.
Præcipuum victrix de te Fortuna triumphum
Hinc aget: hinc lacrimis maxima caussa tuis.

Umbra

UVA. BHSC. BU 06120

Umbra Deæ, ſed caſſa, tibi, ſed inanis, adhæret;
Turba tuum quoties cingit amica latus.
Venditat illecebris ſe Fors perjura ſub illis;
Et tegit inſidias hac dea merce ſuas.
Fide ſodalitiis, ſed tempore fide ſecundo.
Cauta procelloſo ſidere terga dabunt.
Terga dediſſe, parum eſt: turbæ manus ibit amicæ
In modo dilectum mittere ſaxa caput.
Appellare tuum ſocio quid in agmine poſſis?
Plus ſatis eſt, fido ſi tuus ipſe tibi es.
Æſtuat adverſis animi præſentia rebus:
Puppis ut inſano præda relicta mari;
Quam venti fluctuſque premunt rectoris egentem.
Mente fugat liquidum nubila cura diem.
Hæc plebi comperta cano. nam ludere, Scheli,
Te timet immiti Diva proterva joco.
O pater, ô populo vindex adfixe Batavo,
Pone recuſatus quem comitatur Honos.
Yſula cui genitor ſic plaudit dives aquarum,
Ut tuus Eurotas, magne Lycurge, tibi.
Ipſe loquor de me, cui fata tenaciter hærent
Aſpera; conveniens iſta querela mihi eſt.
Te fors nixa vagum ſtabili pede temperat orbem;
Cæcaque, luminibus ſe regit uſa tuis.
Cautus es aſſultum nocituri avertere fati,
Telaque prævifis obvia ferre minis.
Blanditiis aurem nimius nec credere, ne quas
Armet in excidium Diva maligna tuum.
Mentis ab excelſâ mortalia deſpicis arce,
Diaque ſordenti pectora tollis humo.
Pronus & humanis veniam dare caſibus; & qui
Multa putes aliis, pauca licere tibi.
Nævus ubique ſuus. labem mortalibus aufer;
Id miſeris unum detrahe; numen erunt.
Eſt, ubi flagitii ſub imagine culpa notatur,
Et magni titulum criminis error habet.

Sunt,

UVA. BHSC. BU 06120

Sunt, fomenta negent fractis qui mitia rebus;
Vulnera qui gemitu cruda levare suo.
Quid quod & insultant, calcantque jacentia terræ
Colla? tui non est pectoris iste rigor.
Dî noxas clementer habent. hæc æquat Olympum
Gloria. tu faciles hic imitare Deos.
Sic superet dos tanta diu: sic Numina faxint,
Publica consiliis res stet ut aucta tuis.

ELEGIA VIII.

Epicedion Francisci Arsenii Platæi, ad Cornelium Arsenium Somersdicium, defuncti patrem, V. Ill.

NOmina præteriens Arsenia, siste parumper,
Qui legis. hanc marmor poscit inane moram.
Nomine saxa datum est signare parentibus orbis.
Ossa ubi sint, quæris, condita? pontus habet.
Vita brevis juveni; sed laus numerosior annis,
Sive ea parta foris, sive ea parta domi.
Sæcula discendi studio permensus & orbem,
Nil præter, superos, quo raperetur, erat.
Sufficit hic titulus. si mittar in omnia, flebis:
Quæ jam sat tumulo justa superque tuli.
Indole, si qua fides, nil consummatius illâ,
Nil magis exactum terra Batava dedit.
Ingenium, pietas, facundia, candida morum
Gratia, navifragis præda feruntur aquis;
Quantaque vix senio prudentia contigit ulli,
Mensque tot aggestis non tumefacta bonis;
Atque animi memoranda quies; Fortuna fatetur
Obsequiis in quam nil licuisse suis.
Manibus adscribam cum plurima, plura silentur:
Omnia si cumulem maxima, parva loquar.
Artibus ingenuis rerumque poliverat usu
Pectora, lustrato nuper ab orbe redux.

Restabas

UVA. BHSC. BU 06120

Reſtabas nimiis vix una Britannia votis.
Hæc quoque non læſum terra morata pedem eſt.
Complexus ſubitura manus jam jamque paternos;
Ancora natali jam prope fixa vado:
Æquora cum ſubitæ turbant inopina procellæ.
Mattiaco puppis litore quaſſa perit.
Clade quid immeritâ patrias inceſtat arenas
Æolus? ah nolim juris id eſſe mari!
Noxia poſt Reges inpune Britannia cæſos,
Hei mihi, quod crimen non jacet ille tuum!
His certè poterant ſubſcribere Numina votis.
Vana quidem, ſed non invidioſa, precor.
Subdiderant ſtimulos exempla domeſtica menti.
Hinc referebat avum moribus, inde patrem.
Si quid amicitiis dandum foret; hac nec Oreſten,
Hac nec crediderim Theſea laude pares.
Me quoque conſpicuo junctum ſibi fovit amore.
Hanc mihi compertam glorior eſſe fidem.
Vota ubi nunc patriæ ſunt publica, vota parentum?
Perfida ſpem quantam, quod decus, unda tulit!
Heu magnis ſupereſſe diu, Franciſce, negatum
Laudibus! heu meritis Parca maligna tuis!
Aut tibi mens inſtructa minus virtute fuiſſet,
Aut diuturna magis gloria tanta foret!
Nunc quibus aggrediar miſeræ ſolatia matri
Artibus, artifici nil opis unde ſuo eſt?
Turbine convulſas quæ me via ducet ad ædes,
Nec modici tactam fulminis igne domum?
At tu, progenie tot nuper dotibus auctâ
Credite ter felix, ter memorande pater:
Jam locus en, Vir magne, tibi eſt; ne poſſe dolorem
In te plus nimio Fors inimica notet.
Excute plebeios invicto pectore luctus:
Ardua virtutis da documenta tuæ.
Indomitos oppone animos & maſcula fatis
Robora. quo natus ſis genitore, vide.

Illa

UVA. BHSC. BU 06120

Illa potens Reges facundia flectere terris
Te dedit: ille suam finxit in alta domum.
Publica sese alio sapientius ore locutam
Res negat. ut par est, hunc imitare senem.
Composità nuper qui prospera mente ferebas,
Id quoque, quo premeris, fer patienter onus.
Nec multum referre puta, tellusne receptum,
An salis alta suo condat arena sinu.
Communis Natura parens, commune sepulcrum est;
Nec tumuli quemquam fraudat honore sui.
Est ubi tabescunt projecta sub aëre nudo
Corpora, vel rapidis præda relicta feris.
Attenuat seu membra rogus, seu terra, vel undæ;
Tecta subis hospes non aliena tibi.
Ista tui pars sunt, in teque relaberis ipsum:
Nunc tibi, nunc de te dant alimenta sibi.
Spiritus at fragili petit æthera carcere liber,
Et sibi cognatas gaudet obire domos.
Vita parum differt à morte, simillima somno;
Irrita quem spes hinc ludit & inde metus.
Maxima damna gemis. capio tua vulnera, testor:
Et monitis desum, nec pudet, ipse meis.
Sed magis hoc mentem constantia muniat altam,
Materies flendi quo tibi major adest.
Ede opus æternis par laudibus: æmula ne te
Turba parum similem gaudeat esse tibi.
Denique, præstandum est, cui res doluere secundæ,
Ingemat adversis Livor ut ipse tuis.
Invidiæ nullos de te permitte triumphos,
In lucro numeret ne tua damna suo.

ELE.

UVA. BHSC. BV 06120

ELEGIA IX.

Cum Iacobus Augustus Thuanus, Eques, Comes Melæus, Regis Christianissimi Orator, Amstelædamum civitatem sibi perlustrandam proposuisset.

ALtius Amsteliæ jam tollite culmina turres,
Dum nova lætitiæ causſa Thuanus adest.
Ille quidem patriæ pulcherrima laudis imago,
Perque domus tantæ qui bene nomen eat.
Sic quoque nunc, Regum, qui te, ter maxime, mundo
Exhibet, & qua res Gallica voce sonat.
Gallica res, proprii quæ prodiga sanguinis egit,
Ne foret immiti præda Batavus hero.
Par Atlantiadæ caducifer optime, salve:
Salve, lingua tui numine plena Jovis.
Quo fugitiva redit Concordia vindice nobis:
Cui spem crediderunt Paxque Themisque suam.
Dexter & iratos in fœdera frangere Reges,
Et placidæ Martem conciliare togæ.
Salve, hospes, pia cura deûm. Tritonia præsens
Consilii libret sic onus omne tui:
Numina sic Pæan Musæque domestica vobis,
Culta per innumeros, usque colantur, avos:
Sic grati, studio quem pervigilante mereris,
Ad tua se vertat commoda Regis amor.
Mœnibus ut se nil æquum tibi credidit istis,
Publicus aut quod sic ferret in astra favor;
Ex quo servitii perpæsus Belga pudendi
Erigit Asturio colla soluta jugo.
Magna quod imposuit tibi se persona tuendam;
Rex tibi quod partes commodat ipse suas;
Rara quidem, soli tamen haud concessa Thuano
Gloria, quique alios, te quoque spectat honos.

UVA. BHSC. BU 06120

At messis quem tot meritorum tanta bearet,
Tantaque quem virtus comeret, unus eras.
Veligeris sublime vadis caput, Amstela, profer;
Hospitis & pende totus ab ore tui.
Orator non sit nova res licet, at nova certe
Res, oratorum summa Thuanus, erat.

ELEGIA X.

Georgio Monckio, oppressæ rei Britannicæ liberatori.

HIc vir, hic est, serâ cumulent quem laude nepotes,
Quemque senes fasti, Musaque jactet anus;
Quo conculcatæ respirant vindice leges;
Tempore sustinuit qui bonus esse malo.
Invictam præstare fidem qui Regibus ausus,
His patriam asseruit, cum sibi posset, humum.
Cesserat in spolium latronibus inque rapinam
Squallidus assidua cæde Britannus ager:
Captivo procerum stipatus ab agmine carcer,
Vixque pares pœnis tortor & uncus erant:
Exsilium vitæ numeratum in parte beatæ:
Undique nil meritas fiscus agebat opes:
Regia carnifici cervix objecta nefando,
Sceptraque plebeii præda furoris erant:
Credita mancipiis regni tutela salusque,
Et populus viles liber adorat heros.
Tentarant alii numerosam tollere pestem;
Nec datur indomito par medicina malo.
Contudit obscœnæ fregitque tyrannidis hydram
Monckius, Herculeâ versus in arma manu.
Monckius amovit funesti dedecus ævi,
Sæculaque absolvit crimine nostra suo.
Harmodios Atthis, Brutos ne Roma loquatur,
Pulchrius hæc longè dextra peregit opus.

San-

UVA. BHSC. BU 06120

Sanguine (quod ſtupeas) nec adorea conſtitit ullo,
Palmaque ſe facilem paſſa repente capi eſt.
Hinc trepidas ultrix mentes agitabat Erinnys;
Hinc læſa ſtantes pro pietate Dei
Dant animos, cœptiſque favent. vix Marte parato
Laurea prævênit ſpem properata ſuam.
Dira reos ſcelerum facies & conſcius horror
Impulit attonitos, admonuitque ſui.
Ceſſerunt cauſæ damnantis imagine victi.
E debellato laus minor hoſte foret.
Pœnaque cum culpæ nec crux ſat digna daretur,
Vindictam poſuit nobilis ira ſuam.
Opprimit armatum clementia nuda furorem.
Hoc patriæ patrem mite decebat opus.
Incutere haud ullum ſceleri tormenta ruborem,
Optime Dux, poterant: ſed tua dextra poteſt.

ELEGIA XI.

In immaturam mortem Ludovici Baronis Selſii. Ad Rhenum.

HEroum genitor lacrimas da, Rhene, perennes;
Da nati inferiis annua juſta tui.
Selſius hoc tumulo, quem fata rapacia tempus
Per breve vix nobis exhibuere, jacet.
Perfida vix terris monſtraverat Atropos omnem,
Vix bene monſtratam rupit iniqua colum.
Jam maturuerat præcox hoc pectore virtus,
Et ſpe plus aliquid firma tenaxque dabat.
Fœtaque jam ſtudio tendente per abdita rerum
In portu emeriti cura laboris erat.
Entheus ingenuas exhauſerat impetus artes,
Ludus adhuc puero quas didiciſſe fuit.
Arduus in famam per facta domeſtica niti,
Et capere invictos pectore natus avos.

UVA. BHSC. BU 06120

Sic ſeſe exſtimulat vix carcere liber aperto,
Atque animo palmas jam tenet acer equus.
Perſephone lætis ſucceſſibus obſtitit atrox,
Et ſidus Stygia nobile merſit aqua.
Ceu florem, irriguo cui regia ceſſit in horto,
Una dies naſci conſpicit, una mori.
Heu decus, heu tituli, funeſtaque gloria rerum!
Laus quanta in cinerem quàm cito verſa jaces!
Indolis oſſa fovet miratrix Gallia magnæ.
Condita non alibi dignius illa forent.
Celta en, Rhene, gemit tecum, gemit ecce Batavus.
Publicus attonito plangor in orbe ſonat.
Quamvis cauſa tibi juſtiſſima, Rhene, dolendi eſt;
Parcius ut doleas noſtra querela facit.

ELEGIA XII.

Ad Iohannem Fredericum Gronovium, in Academia Batava Græcas & Romanas antiquitates publice profeſſurum.

LIbera vix famulis ſubduxerat ora lupatis,
Et collum Heſperio terra Batava jugo;
Impetus æternas animum rapit acer in artes,
Roma quibus ſerum nomen & Hellas habent.
Nec mora: reſpondent felicibus omnia cœptis.
Maxima jam populis fama Batavus erat.
Pallas & Aŏniæ Phœbo comitante ſorores
Numina dilectam juncta petîſtis hunnum.
Sed furtim inſidias lucri meditata cupido
Avocat; inceptum nec ſibi conſtat iter.
Negligitur partumque decus, nec gloria cordi eſt;
Pectora fracturæ dum cumulantur opes.
Sordida divitiis laudum comes hæret egeſtas.
Vix ſua ſunt meritis præmia: friget honos.

Barba-

UVA. BHSC. BU 06120

Barbaries cæcis & inertia mentibus instant.
E liquido supereſt umbra maligna die.
Non tulit, & noctem Gronovius arcuit altam.
Is mora lapſuris artibus una fuit.
Optimus antiqui Gronovius arbiter ævi,
Cui nihil ignotum ſæcula cana ferunt.
Gaude, Roma parens, hoc vindice; Græcia, gaude.
Reſtituit patriæ vos labor iſte meæ.
Deſidiæ labor iſte manu pernocte fugatæ
Exſuvias veſtris dedicat, ecce, tholis.
Quamlibet externo lætare, Batavia, partu:
Et merita accenſe laudibus illa tuis.
Barbariæ jugulum quicumque petiverit hoſpes;
Hic tua progenies, hic mihi civis erit.

FINIS LIBRI TERTII
ELEGIARUM.

UVA. BHSC. BV 06120

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

ELEGIARUM LIBER QUARTUS,

AD

CONRADUM van BEUNINGEN,

VIRUM ILLUSTREM.

UVA. BHSC. BU 06120

ΨΨΛ. ΘΗSC. ΘΨ 06120

ΛΙΚΠΛΝ ΙΓΓΩSΓΡΕΛΝ

COMBADUM AND BENIMINCEN'

V D

LIBER QUARTUS'

EVANGELIUM

NICOLAI BENINGII DANI PIL

NICOLAUS HEINSIUS
CONRADO van BEUNINGEN,
Variis pro Fœderato Belgio obitis legationibus inclyto & illustri Viro S.P.D.

QUantum voluptatis comparetur ex certa stabilique amicitiarum possessione, Conrade Beuningi, præstantissime mortalium & officiosissime Vir, quid fructus ex artâ ac solidâ necessitudinis præsidio redundet, tunc demum ubertim, tunc plene visus sum persensisse, cum me abs te amari argumentis indubitatis adverti. Toto quippe jam decennio, & quod excurrit, eo rerum mearum studio ferris atque incitaris, ut quotiescumque propriis egomet commodis minus consulo aut desum ipse, quod evenire consuevit haud raro, quotiesque utilitatis meæ vel tantillum in me desiderari patior, tu confestim exporrecta quadam atque ultronea alacritate, qua præsens qua absens, adcurras advolesque, tamquam Deus è machina, qui id omne suppleas abunde & resarcias, quique expectationem meam vigilantiâ tuâ incomparabili longissime prævertas. sive indoli ad præclara quævis exacte formatæ id virtutis gloriæque debes, sive philosophicis potius præceptis id ipsum acceptum refers, quæ jam tum tenero ab ungue tam feliciter eoque cum successu imbibisti, ut, quod ab aliis sapientiæ candidatis ambitiose nimis & decore parum ostentatur, in te, dissimulatum quamvis anxie occultatumque, nemini illorum non appareat ultro ac sponte deprehendatur, quibus vel primo obiter congressu vixdum notus occurris. Ac mihi quidem copiosius præsentiusque adjumentum numquam abs te adfulsit aut in promtu fuit, quam cum ætatem alter ab altero ageremus remoti, ac perquam lato regionum intervallo divideremur. Quas ego exquisitas atque invidendas animi pulcherrimi dotes dum in te mirabundus identidem contemplor, recordari nonnullos subit, à philosophiæ studio cætera haudquaquam alienos, qui cum præsentes amicitias citra

UVA. BHSC. BU 06120

tra reprehensionis notam curate satis observent excolantque, si quis horum tamen, quibuscum conjunctissimi vixere, ab illis avocetur, alioque quovis terrarum transferat sedem, ex oculis sublatum negligunt non minus, omnique officio excludunt, ac si nil omnino necessitudinis aut familiaritatis umquam cum illo intercessisset sibi. Litteraria quin immo commercia, quibus nec inter hostes denegari locus assolet, utcumque provocati camiter, gravantur ignavi, nec nisi ægerrime admittunt. Tamquam sacrosanctum illud amicitiæ nomen, illud, inquam, cœleste animorum pabulum, sine quo vitam omnem jure mortuam arbitreris, sensibus corporeis obnoxium esse oporteat, obtutuique ac conjectui oculorum unice mancipatum. πόλλας φιλίας ἀπροσπηγέλα διέλυσε, *verissimum principis Philosophorum habetur effatum. Amicitiis nimirum taciturnitatem non minus fatalem censeri, quam Amyclis ob silentium eversis perniciosa quondam hæc ipsa credebatur. Neque id tam exprobrationi aliorum ex amicis nunc à me datur, per quos vulgarem tritamque mortalitatis semitam cum plebe insisti utcumque est ferendum, quam tuis meritissimis laudibus, Vir Illustris, qui secretus longe à trivali sorte talem te præstas, qualem illi nec adsequantur facile, nec satis intelligant. adeo in numerosa ista ac passim obvia thyrsigerorum cohorte Bacchos oppido quam paucos est offendere. Etsi enim rem publicam sic abs te curari scimus, ut aut numquam aut raro admodum otiosus conspiciare: etsi occupationibus gravissimis ut plurimum implicatus ac densa negotiorum mole tantum non oppressus immane quantum distineris, gaudes nihilominus amicis absentibus indulgere te frequentem, ratus, quod res est, curas operamque nusquam aut liberalius aut laudabilius exerceri abs te posse. Fruantur ad satietatem per me licet suo nectare suaque illa ambrosia, tanto poëtis opere decantatâ, Dii cælites: mihi quidem, dum in terris ævum agitare continget, nectar omne cum ambrosia loco nauteæ sordebit prorsus & fastidietur, præsuavissimis illis literis, quibus me assiduis in hoc Septentrione positum compellas ac foves. Per has quippe fit, ut non ab ore tantum præsentis utcumque absens perpetim pendere videar, sed ut mentem quoque ipsam intimasque cogitationes tuas, ceu coram, perscruter indagando*

UVA. BHSC. BU 06120

gando atque explorem. In his, tamquam in ſpeculo, ſtatum patriæ noſtræ nunc dubium nunc florentem, in his Senatuſconſulta publico ſalutaria, fœderumque ac pactorum cum principibus aut vicinis aut longius amotis iteratos ſubinde nexus, in his denique alia complura eodem ſpectantia cognoſſe atque intueri datur, per quæ de die in diem magis ac magis erudiri, Spartæque, quam adornandam ſuſcepi, minus & minus deeſſe mihi contingat. Hæc conſuetudo noſtra tam tenax ne in ſeriis ſemper occupata ſit, neve curis publicis totam ſeſe permittat, ad Parnaſſum & privata ſtudia nonnumquam deſcendat ab illis ſublimioribus, ac interdum ferietur inter Muſicos concentus, par eſt: cum alibi honeſtius animorum perpes iſta contentio laxari vix queat. Cujus ingenuæ remiſſionis noſtræ ſpecimen qualecumque hic en habes, elegidia nonnulla, quæ in libellum colligebam nuper otioſus, luce publica donandum, quod ſic velle bibliopolam, idque inſtitutum ab illo fervide urgeri comperiſſem: opinatus flagitio fore ſimillimum, ſi in poëmatiis noſtris nullo ſpectareris loco, qui vel primum in his jure optimo poſſes tibi atque etiam deberes vindicare, ſive tuis in me meritis tam luculentis is foret deferendus, ſive meo adfectui, quo te flagrantiſſimo ſanctiſſimoque jamdudum complector. Quid quod in hoc ſtudiorum genere nihilo minor es, quam in cæteris omnibus? ut lectorem arbitrumque rei poëticæ magis te intelligentem aut peritiorem alibi nequicquam ſim circumſpecturus mihi. Vale, Beuningi ampliſſime, idemque amiciſſime: ô mearum grande decus columenque rerum. Exarabam Holmiæ Suecorum, Anno, poſt Chriſtum genitum, CIↃ IↃC LXV, Kalendis Maiis.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA PRIMA.

In nuptias Philippi Doubletii Sanct-Annæi, & Susannæ Hugeniæ Zulichemiæ.

QUi nodo cupidos geniali nectis amantes,
Uraniæ soboles blanda parentis Hymen;
Te vocat, assiduas ad te Doubletius unum
Vertit Acidalio victus ab igne preces.
Et merito. neque enim conspectior ore Batavam
Altera virgineo de grege lustrat humum;
Aut quæ Palladias felicius hauserit artes.
Vix soror Aönii sic canit ulla chori.
Hanc Venus ambrosiis perfudit odoribus omnem,
Et tetigit cesto terque quaterque suo.
Euphrosyne patrio sic cum processit Olympo,
Quicquid agit Charitum prima, decenter agit.
Maxima jam curis merces en, Sponse, parata est.
Tot querulos pensat nox tibi læta dies.
Fortunate tori, cui providus obtulit æther,
Quæ poterant plenâ Dî dare dona manu.
Cernis, ut adspirent certatim Numina tædæ?
Hesperus ut volucri roscidus instet equo?
Urgeat ut festina tuam Latonia noctem,
Pronaque in obtutum sidera, Sponse, trahat?
Annumerans in dote tibi Pæana paternum,
Totque Deos dives, tot nova nupta Deas,
Jam ducenda domum vix expugnata maritam,
In partem vacui jam subitura tori est.
Quanta voluptatum messis tibi, lectule felix,
Gaudia quot, felix lectule, nata tibi!
Dum fovet Hugeniam, pulchroque tenaciter ori
Fervidus incumbit nec satiandus amans.
Quas Syrtis Gætula capit, numerarit arenas,
Enumerarit apes, Hybla Sicana, tuas;

Aëra

UVA. BHSC. BU 06120

Aëra per longum præpes quam multa feratur,
Quam crebro liquidæ piſce terantur aquæ:
Qui gemitus lætos, & fractæ murmura vocis,
Et tenero morſu colla notanda canat;
Creditaque alternis hinc oſcula & inde labellis,
Quo gaudet ſtimulo mox properanda Venus.
Tum quæ præterea tacitis commiſſa tenebris
Sacra revelari myſticus horret Amor.
Eia age, nocturni Latonia temporis index,
Spectatum huc propere (jam fugit hora) veni.
Quod rubeas non eſt. neque enim, Dea, pectus ahenum,
Invictoque rigens ex adamante tibi.
Caſta licet, multumque toro dilata jugali,
Sic quoque non neſcis, Cynthia, quid ſit amor.
Latmia, ſcrupoſo quantumlibet horrida dumo,
Conſcia deliciis ſaxa fuere tuis.
Fallor? an, in gemino dum lumina paſcis amante,
Succurrunt memori nunc ea furta tibi?
Virginitas tumide neſe tua jactet, in uno
Concidit ille ferox Endymione rigor.
Dumque hæret tibi, Diva, viro venatus in iſto,
Turpiter oblitâ lapſa ſagitta manu eſt.
Prædatrix jam præda vago raptaris amanti;
Inque vicem capitur vir tibi, tuque viro.
Sæpe, ubi tela rapax in te conſumſerat arcus,
Tela Cupidineâ plurima miſſa manu,
Spicula ſublegit furtim tibi, teque pharetræ
Eſt Amor aggreſſus Marte, Diana, tuæ.
I nunc, exſuviis gaude cumulata ferinis,
Dum ſpolium de te certius ille ferat.
Ah quoties, curru dum ſpectat ab alite, frater
Riſit, & adjunctos lentius egit equos!
Ah quoties Nympham Peneïda vovit amator,
Tam facilem cupido, Diva, patere tibi!
Non hoc pollicita eſt de te Latona Tonanti,
Vittaque virgineas ſtringere juſſa comas.

BIBLIOTECA DE SANTA CRUZ

Dum

UVA. BHSC. BU 06120

Dum ſtupet inſuetos toties ſuperata triumphos;
Credere vix oculis eſt Venus auſa ſuis.
Mentis inops, omnemque ruis deperdita ſenſum.
Turba ſequi ſolitæ nunc ubi fida canes?
Retia pone jacent cervo metuenda fugaci;
Arcus in errantes non habet arma feras.
Læſa bicornigeri thyrſo ſic fertur Iäcchi
Acta per Ogygiam non ſua Mænas humum.
Cum Cybele junctis invecta leonibus urget,
Dardana ſemivirum ſic rapit Ida gregem.
Cura verecundi ſuperat jam nulla ruboris:
Ferre pudicitiam jam tibi, Diva, grave eſt.
Arcade quàm metuat te nata Lycaone ſpectans,
Furtivum facies ne tegat iſta Jovem!
His quoque ne fraudi ſit amantibus igneus ardor,
Legitimâ ſanctus quem face nutrit Hymen.
Cum colat ante Deos Phœbum Doubletius omnes,
Hac accenſendus, Cynthia, parte tibi eſt.
Hunc nec Graia latent, hunc nec Romana vetuſtas:
Ridet & arguto terſus in ore lepos.
Adſpice par rarâ nulli, Dea, laude ſecundum.
Virgine vir dignus, digna puella viro eſt.
At tu prona fave. ſic conjuge gaudeat uno;
Ludat & exempli lege pudica tui.
Commoda ſit ſoli, ſoli ſit blanda marito:
Hujus in amplexum, ſed ſine teſte, ruat.
Nec male diſſimulet, nec diffiteatur amorem;
Igne nec indomito ſe neget illa premi.
Spiſſaque defigat ſocialibus oſcula labris
Nupta, Dionæam quîs imitetur avem.
Nocte ſupercilii nubem matrona ſeveri
Pone, tuo cupies ſi qua placere viro.
Tempeſtiva decet laſcivia nocte maritas.
Culpa ſuam veniam (credite) talis habet.
Non peccat, quæcunque viro ſic peccat in uno.
Cede rigor thalamo; ruſtice cede pudor.

UVA. BHSC. BU 06120

Æaciden Tecmeſſa ſuum, licet aſpera, cepit:
Nec mirum. ſtolidi militis uxor erat.
Da mihi Penelopen, vel ſi quæ caſtior illâ eſt;
Et tetricas noctes adde: tepebit amor.
Illecebris niſi nupta ſuis revocaret Ulyſſen,
Nunc quoque Circæo captus amore foret.
Nec junctum, formoſa, tibi, Dictynna, tot annos
Stertere gauderes Endymiona tuum;
Si, qualem Autonoë prognatus & acer Orion,
Is quoque tam duram te, Dea, fleſſet amans.
Jam ſatis Hugeniæ, Phœbi germana, vacaſti.
Mox iterum decimo menſe vocanda redi.
Subſcribet patriis cum fœta puerpera votis,
Huc quoque tunc numen fac, Dea, mite feras.

ELEGIA II.

Iacobo Auguſto Thuano, Equiti, Comiti Melæo, Senatus Pariſienſis Præſidi, Regi Chriſtianiſſimo à Conſiliis, & ejuſdem apud Fœderatos Belgas Oratori, Naſonem offert auctor abs ſe caſtigatum.

EFfigies magno virtuſque ſimillima patri,
Cui nihil æquandum Gallia laude tulit,
Accipe, gentis honos & ſpes ſuper una Thuanæ,
Quæ tibi Pelignus munera ſiſtit ager.
Munera, quæ lymphâ ſaturavit Hyantide Pæan,
Nectare pavit Amor cum Genetrice ſuo.
In quibus eloquii pondus roburque Latini
Certat, & Actæo blandus ab orbe lepor.
Ingeniis cum Roma ſuis ſuper æthera tendat,
Gloria Naſoni debita prima meo eſt.
Diſſimulata quidem, vixque agnoſcenda, ſed artis
Maxima vis tacitæ ſeque tegentis adeſt.
Nec minor ingenii præſentia; limpida venæ
Divitis ubertas, perſpicuuſque nitor.

Copia,

UVA. BHSC. BU 06120

Copia, luxuriem quæ cauta coërceat omnem;
Nilque, ſupervacuum quod videatur, amet.
Muſa ſatis felix nativæ munere formæ
Negligit adſcitam plena decoris opem.
Concitat adfectus, & in altam labitur aurem
Gratia flexanimi non imitanda ſoni.
Ambroſiis ſaturos dapibus Genioque litantes
Crediderim Superos hac ego voce loqui.
Haud facilis mihi pugna fuit cum labe pudenda,
Temporis adlevit quam mora longa viro.
Sic quoque pernoctis ſuperavi tædia curæ;
Succeſſu ſtudium nec vacat omne ſuo.
Menda relegata eſt à terſis plurima chartis.
Comtior Auſonium jam videt ille diem.
Exſulis immeriti reduces tere, Roma, libellos;
Nominis ulla ſuper ſi tibi cura tui eſt.
Ecce, Cupidineis quod ſaucia turba ſagittis,
Non damnaturo Cæſare, volvat opus:
Ipſe ſuis poſthac fidibus quod mandet Apollo;
Quod ſoror Aönio colle novena canat.
Degener, & nulli Cæſar laudande poëtæ,
Dardanus Anchiſæ tune ferare nepos?
Tune Cytheriacæ cenſendus originis heres?
Quid tibi, quid Latio verba, cruente, dabas?
Hoc te mendacem ſcelus arguit. ipſa Dione
Exſequias vati creditur iſſe ſuo.
Ipſa viri comitata fugam pia Diva ratemque
Iönias ſpiſſis fletibus auxit aquas.
Unguis in ore ſedet, lacer horret in ore capillus;
Livida reſciſſâ pectora veſte rigent.
Hoc habitu vulnus non conſolabile quondam
Prodidit, inviſam vix bene paſſa diem,
Unica dum raptum ſibi gaudia mœret amantem,
Quem ferus obliquo dente necarat aper.
Optavit funeſta mori, doluitque cupitam
Ad Styga præcludi triſte Deabus iter.

Hæc

UVA. BHSC. BU 06120

Hæc præstat tibi, Diva, tuus solatia Cæsar:
Sanguinis auctorem sic fovet ille sui.
Vela dedit legitque manu lugente carinæ,
Armaque Nasoni noxia rupit Amor.
Buccina concinuit Tritonia flebile carmen;
Nec tenuit gemitus Nereïs uda suos.
Adnavere tui puppem delphines, Arion;
Hoc quoque laturi, si modo detur, onus.
At te, Cæsar atrox, hominum nil vota deûmque,
Pectora nil Clario numine fœta movent.
Nil quæ Mæonium facundia vincit Ulyssen,
Antilochique patrem, Tyndaridosque virum.
Mænadas Orpheâ flexisset cæde nocentes,
Bistonias cautes hoc animasset ebur.
Sarmata cantanti trux assurrexit, & Ister
Quamlibet adstrictis frigore plausit aquis.
Cur soli tibi muta lyra est? quid, surde, relegas
Auditam Boreæ, qua riget usque, chelyn?
At quanto minor illa tui, quam sæcula damnant,
Collegæ rabies in Cicerone fuit!
Huic caput exsecuit properatâ cæde satelles.
Vivere Nasoni quid, nisi sæpe mori, est?
Invidiam pœnæ Rostris, scelerate, negasti;
Ut Scytha jam præ te mitis & æquus eat?
Cum vultus Fortuna fugax avertit amicos,
Nubila lux aliquid funere pejus habet.
Si qua fides veris, Busiride sævior ipso es,
Qui miserum prohibes morte, necique negas.
In Geticam fuga jussa plagam est, ne sola ruboris
Roma sui testis, conscia sola foret.
Quid furis, infestum Phœbo caput? Actia de te
Non hanc emeruit Leucados unda notam.
Nil tamen egisti. canitur tuus exsul, & ævo
Nomen inextinctum (rumpere, Cæsar,) habet,
Limine pro patrio spatiosum possidet orbem:
Hospitium tanto par locus ille viro est.

UVA. BHSC. BU 06120

Ingeret hoc populis facinus pia Fama notandum.
Sæcla ſui cauſſam poſtera vatis agent.
In te Helicon Pimpleque minax fera bella movemus.
Hinc en dicta tibi, Cæſar inique, fuga eſt.
Sacrilegum flent Muſa nefas atrata Chariſque:
Ipſe Palatina flet miſer æde Deus.
Pectora nam nulli præſentior egit, & hauſto
Largius Aöniæ fonte rigavit aquæ.
Nec duce ſe myſtam profugum defraudat, & una
Viſit Hyperboream non novus hoſpes humum.
Exſilium Naſone fuit ſibi Roma negato,
Orba ſui cantûs, pectinis orba ſui.
Mente tamen forti magnum tolerare dolorem
Suſtinet, infandis & ſupereſſe malis.
Hei mihi! tam duræ poſituris mœnia genti
Fratribus altricem jam liquet eſſe lupam.
Barbara barbariæ nunc Romula turba vocetur,
Vincit inhumanos quæ feritate Getas.
Cimmerius tenebraſque ſuas hyememque fugari
Pontus inaſſueto vatis ab igne ſtupet.
Pignora quanta ſui, quantum committit alumni
Numinis Arctoo Cyrrha benigna mari!
Cæſareo ſeſe facundia fulmine major
Erigit in mediis exſtimulatque malis.
Vim citharæ nervoſque novos adverſa miniſtrant;
Gratiaque argutæ luctibus aucta lyræ eſt.
Aſpera lectorem quamvis & amara querelæ
Copia delectant, & ſine fine dolor.
Ingenium lacrimis nec amabile carpitur ipſis,
Quæque trahant animos vincula plangor habet.
Sic, inſtare videns jam fata, Cayſtrius ales
Ore cavet, tacitum ne ſibi funus eat.
Tereos inceſti ſic crimina luget aëdon:
Tale gemit rapto Delia chorda Lino.
Marte quod Euphrates Craſſis exſultat iniquo,
Boſpore; concedant Partha tropæa tuis.

Cedat

UVA. BHSC. BU 06120

Cedat & exſultans domito Germania Varo,
Heſperiâ multum clade ſuperbus ager.
Romani titulum plectri Latiæque Thaliæ
(Pro pudor!) Euxinis debuit orbis aquis,
Scilicet incurſat ſtrepitu Fortuna protervo
Devia, Caſtaliis obloquiturque choris.
Nec favet ingeniis, &, quicquid ab æthere ductum eſt,
Deprimit impoſito Diva profana pede.
Nilque patrocinio niſi res dignata caducas,
Sordibus objectam prona tuetur humum.
Poſtuma mercedem ſed Fama merentibus æquam
Solvit, & hæc ſerus damna rependit honor.
Jam collapſa ſolo nuſquam Capitolia reſtant;
Caſſaque Tarpeium buſta tulere Jovem.
Naſo tamen ſupereſt Româ latitante videndus;
Et venit in doctas creber, ut ante, manus:
Contemtorque rogi non læſum tempore nomen,
Ac domino rerum Cæſare majus habet.
Tu quoque dura minus, mea patria, vatibus eſſes.
Fallor? an admonitâ ſtat tibi fronte rubor?
Quis color excuſet, quæ dedecus eluat unda?
Sit precor hac faſtis ne ſua parte fides.
Ille tui plauſus, certæque, Batavia, laudes
Grotius, ille lyrâ maximus, ille togâ:
Cui poſt nil æquale dabis, nil ante dediſti,
Actus ab auſterâ tene parente reus?
Nec ſtetit hoc in fine nefas. non digna jubentur
Tam tibi devotæ vincula ferre manus.
Unde novercalis labem tibi, patria, noxæ?
Heu oblita tui, nunc pia mater ubi eſt?
Mater ubi eſt? ad te fugitiva revertere mater;
Pectora ſi nomen ferrea mite trahit.
Ne ſciat hoc infenſus Iber. odioſior hoſte es.
Cæca ſubis partes illius, ille tuas.
Materno elapſum vix carcere fovit, & ultro
Obtulit hoſpitium come cruentus Iber.

UVA. BHSC. BU 06120

Nobile fers noſtri ſpolium, gens victa, pudoris:
Maxima de ſalvo gloria vate tibi eſt.
Sed melius domui mox creditur ille Thuanæ;
Qua patet adfictis jam vetus ara reis.
Exſulis hæc cepere fugam penetralia magni;
Totque ſacrum meritis detinuere caput.
Plauſa, Thuane, choro Clariæ penetralia turbæ;
Sancta tui patris nomine, ſancta tuo.
Hinc apices ſibi Celta legit procereſque Senator;
Et toga purpureos plurima jactat avos.
Accola poſthabitis hæc obſidet atria Delphis;
Poſthabito Pæan has Helicone fores.
Huic Honor & Virtus & Fama domeſtica tecto eſt.
Mille Dei celebrant limina, mille Deæ.
Hac Themis, hac regnat de vertice nata paterno;
Hac ſe condiderunt aurea ſæcla domo.
Nunc quoque, Naſo fugam meus hoc ſi mutet aſylo,
Nil ſteat Auguſtum non patuiſſe larem.

ELEGIA III.

Conrado Beuningio Metamorphoſes Naſonis recognitæ mittuntur.

NOn Agamemnonium Strophio ſic natus Oreſten,
Theſea ſuſpexit Pirithouſque ſuum,
Ut tua me, Conrade, fides ſibi jungit, & ille
Rebus in adverſis ſæpe probatus amor.
Non, mihi ſi Lethæa premant oblivia ſenſus,
Excidat hæc pietas pectore lapſa meo.
Tunc quoque, fatalem cum Parca minabitur horam,
Reſtabit memori nomen in ore tuum.
Ipſe cinis te, care, meus, Conrade, loquetur:
Geſtiet officiis ipſa favilla piis.
Exſul arenoſos Libyæ ſi mittar in æſtus,
Te duce deſertum non videatur iter.

Mittar

UVA. BHSC. BU 06120

Mittar inacceſſos Nili latitantis ad ortus,
Tædia longinquæ ſint mihi nulla viæ.
Aut ubi Taprobane, modo milite capta Batavo,
Evocat alipedes æquore Solis equos.
Dulcius ô mihi melle caput, quod gignit Hymettos,
Quod tegit Hyblæi cera Sicana favi:
Sidera, tempus erit, mihi cum ſuper alta feraris,
Gorgonei dorſo præpete raptus equi:
Ore ſonans cum Fama meo tua geſta loquatur;
Et te conſpicuus cive Batavus eat.
Dictabunt numeros hinc turba ſororia Phœbi,
Hinc Deus auratam porriget ipſe chelyn.
Bella tibi Mavorte canam diſcuſſa togato,
Telaque flexanimi fulmine fracta ſoni.
Lingua Periclêæ ſic laudibus æmula vocis
Sæpe locuta foris, ſæpe locuta domi eſt.
Quem te cum rigidis mirata Trionibus Arctos
Quamlibet invitâ diſtulit arma manu.
Gallia quin etiam, quamvis facunda, loquenti,
Et cunctante rapax Sequana plauſit aqua.
Seu patria attentam tibi Curia commodat aurem,
Indomitaque trahi voce Senatus amat;
Romanâ talis pro libertate diſerti
Armabat validam Tullius oris opem.
Nectare Socratici rorans ſeu charta Platonis,
Et blando Sophiæ numine fœta, tenet;
Ire per annales, ævi canentis ab ortu,
Seu juvat, hiſtoricam dum bibis aure fidem;
Seu vacuam noſtro ſtimularis Apolline mentem;
Maxima laus titulis ſurgit ubique tuis.
Salve anima, anguſti ſalve ignea corporis hoſpes;
Vixque minus cœlo mens ſpatioſa tuo.
Jam tibi per ſeros latè ſpargenda nepotes
Perpetuum vivo Gloria ſtravit iter.
Quando erit, immenſa ſerie laſſatus honorum,
In patriam meritis ut ſatiere tuis?

UVA. BHSC. BU 06120

Sepositi mecum te ruris ut angulus abdat ?
Ruris, ubi ambitio non habet ulla locum.
Vossius ut lateri non divellendus amico
Mulceat adloquiis pectora fida suis ?
Vossius, à prima nascentis origine mundi
Cui senium prisci temporis omne patet;
Cui fingi in patrias feliciter obtigit artes,
Progenies magno non genitore minor.
Ille trahet secum Clarias Aganippide silva,
Ac comites ducet læta per arva Deas.
Plurimus inceptis auspex ridebit Apollo,
Et studia adflabit numine nostra suo.
Huic quoque rus est cura Deo. Deus ipse Pheræos
Pavit in Hæmoniis vallibus ante greges.
Tesqua simul nobis habitabunt hospita vates,
Græcia cum Latia quos vetus urbe tulit.
Molliter exactæ pars optima sæpe diei
Nasotibi fallet tempora, Naso mihi.
Naso meus (quid enim cantante sonorius illo ?)
Justa voluptatis caussa terendus erit.
Maximus eloquii constricti legibus auctor,
Seria sive paret carmine, sive jocos.
Qui Phœbo Musisque suos Venerique lepores,
Et Charisin cunctas abstulit unus opes.
Ipse latex, vatum quo pectora dia rigantur,
Parcius hac vena pauperiusque fluit.
Tot licet ingeniis Romana superbiat ætas;
Si qua fides, nulla plus sibi laude placet.
Illum ego, detersa pannosæ sorde senectæ,
In famam & populos & sua sæcla traho.
Ecce, voluminibus ter quinque sonantia formas
Carmina mutatas, quod tibi se dat opus,
Ut faciem cepere novam squalore fugato,
Pars argumenti carmina facta sui !
Hoc pater in viridis revocatus Iasonis annos,
Amphitryoniades hoc Iolaus erat.

Angui-

UVA. BHSC. BV 06120

Anguibus, exſuvias ſic cum poſuere ſeniles,
Sic maribus cervis ſera juventa redit.
Nunc tibi ſe tradunt operis præludia juſti,
Pertexenda mihi quæ tua villa dabit.
Cum vacuus curis animus liberque ſuuſque
Te ſibi præſentem cernet adeſſe deum.
Conſpectus mihi quippe tuus Phœbumque faventem
Cum latice Aönio Pegaſidaſque feret.
Hæc aliud pereant ut agentibus otia nobis,
Publica vix tanti debuit eſſe ſalus.
Patria, da veniam: quod non licet eſſe beatis,
Dum premit aſſiduos nos tua cura, queror.
Hæc in procinctu meditabar carmina mœſto,
Carior ô vitâ luminibuſque mihi:
Rurſus Hyperboreæ ſidus glaciale ſub Urſæ
In Getica ſedem figere miſſus humo.
Me licet inſanis aquilonibus horridus æther,
Me nive, me cruda grandine pulſet hyems:
Inconcuſſa feret nimbos brumale rigentes
Mens deſiderii plena calore tui.

ELEGIA IV.

Genethliacon Filio primogenito Ludovici XIV Regis Chriſtianiſſimi.

VEniſti, Dîs care puer, memorabile pignus
Sanguinis auguſti, nec dubitanda fides?
Fulmina Borbonios hinc qui Mavortia Reges,
Hinc alto Auſtriadas nomine tangis avos.
Qui naſci ut poſſes, thalamos comtura paternos
Pronuba deſueto Pax revocata ſolo eſt.
Veniſti, columen rebus date? Gallia quo nil
Soſpite, quod votis Numina poſcat, habet.
Lucinam comitata cohors numeroſa Dearum eſt,
Maturum poſuit cum pia mater onus.

UVA. BHSC. BU 06120

Hæc tibi quas inter cecinerunt omina Parcæ,
Omina conſpicuam mox habitura fidem.
Auribus excepit gaviſa puerpera pronis,
Et circumſtantis denſa corona chori.
Creſce, puer, quo terga dedit ferus auſpice Mavors;
Creſce, puer, placidæ nobile Pacis opus.
Sæcula ridebunt ſub quo Saturnia terris:
Numina præſidio tuta futura tuo.
Tu populo communis amor, tu regula morum,
Tu ſtator Aſtrææ jam redeuntis eris.
Tu cœli, puer alme, labor; quem plurimus æther
Finxit ad exemplum compoſuitque ſuum.
Poſt te Borbonios ubi laude réliqueris omnes;
Plena, puer, palmæ ſumma neganda tuæ.
Patrem operum titulis ſuperare vetaberis unum;
Regia cui nullum veſtra datura parem eſt.

ELEGIA V.

Herculi Muſagetæ Gallico.

ORgia Piëridum triviis deſpecta jacebant;
Nec tua qui, Pæan, ſacra foveret erat.
Regibus hinc ducibuſque quidem laus parta, ſed olim,
Aurea Saturno ſæcula dante, fuit.
Scilicet armato quid in orbe decentia Pacem
Plectra tubas inter, nec placitura, canant?
Solus honos Marti eſt: ſoli litat ara per aulas.
At ſitis incumbunt, Phœbe, fameſque tibi.
Erubuere nefas primævi pectora Regis:
Pectora, perſpecto quæ nihil orbe latet.
Nec mora: rebus opem vindex properavit egenis.
Sæcula jam quanto noſtra pudore vacant!
Ille adeo, ex omni cumulatis hoſte tropæis,
Quo nihil hæc mundi machina majus habet,

Legi-

UVA. BHSC. BU 06120

Legiferæ columen Themidos, Virtutis asylum,
Unica Bellonæ gloria, Pacis amor;
Post adserta manu tot numina, totque triumphos,
Tutelæ meritum nos jubet esse suæ.
Macte animo, stimulaque pios successibus ausus:
Certior ad Superos nec, Ludovice, via est.
Indulgent Genioque novem fidibusque sorores,
Seque tuum salvas esse fatentur opus.
Tu conculcatas è pulvere surrigis artes,
O decus, ô natum sæcula ferre caput.
Squalorem ingeniis detergere, nubila Pindo
Dexter; & Aönias comere largus opes.
En modo victa situ, modo turba famelica vatum,
Nunc satura ad lautas vix movet ora dapes.
Priscus honor Phœbo est, post tot fastidia Regum,
Ex quo Thessalicos paverat ante greges;
Et struere Iliacæ jussus fundamina molis
Pollicitam pacto flebat abesse fidem.
Perfice, quod populi, quod sæcula cana loquantur,
Tam tibi præsentem demeriture Deum.
Huic & cara Deo laurus tua. laurea Phœbo
Victricem decorant & tibi serta comam.
Ille dabit nullo delebile tempore nomen;
Dum tua materiam nominis acta dabunt.
Si tamen acta dabunt, quod consummata dederunt
Laudibus & voto fertiliora suo.
Non potes, ut cupias, seros latuisse nepotes,
Ex quo Castalides sunt tibi cura Deæ.
Vel semel adflatos ab Apolline tollit in altum
Ales & à Stygiis Fama tuetur aquis.
His & longa dies & meta volubilis ævi
Indelibatum dant sine fine decus.
Ibis in exemplum; perque ora faventia sermo
Plurimus assiduæ posteritatis eris.
Æquamur Superis mortalia laude: per illam
Gloria fert meritos summa sub astra viam.

UVA. BHSC. BU 06120

Regia res, nulloque minor, Rex magne, triumpho est,
Barbariem Marti terga dedisse tuo.
Quælibet ejecit quem janua, Cynthius erro
Borbonia profugum sistit in æde pedem.
Dant aditus ultro reserata palatia blandos.
Vix casa pulsanti nuper aperta deo est.
Frigora jam sat, Phœbe, tibi tolerata, sat imber.
Dege tuo dignos hospite teque dies.
Ecce dapem Ludovix, vestemque, domumque, focumque;
Æs Ludovix, egeas ne miser ære, dabit.
Securo tibi utramque licet jam stertere in aurem;
Regia dum pro te, Phœbe, sit arca vigil.

ELEGIA VI.

In Itinerarium Ludovici Henrici Lomenii Briennæ Comitis, Regi Galliarum à Consiliis, Actis, & Epistolis. Ad Posteritatem.

ELoquii vindex Lomenia dextra Latini,
En tibi, posteritas, quod peraravit opus.
Plurima verborum cum pondere gratia certat:
Perspicuus certat cum brevitate nitor.
Spectari narrata putes. facundia felix
Luminibus fertur ceu rapienda tuis.
Hunc sibi se vel Roma velit peperisse libellum,
Barbariæ fœdo non temerata situ.
Nectar & ambrosiæ Superos spirantis odorem,
Et Veneris diam pyxida multus olet.
Unica nec laus illa viri est. vix sufficit umbram
Mentis inexhaustæ pagina tersa tibi.
Quippe in procinctu Geticæ per inhospita brumæ
Tota viatoris deproperata manu.
Ludicra sunt isthæc juvenilia, ludicra tantum;
Seria sed cedant quîs operosa senum.

Quod

UVA. BHSC. BU 06120

Quod placet eloquii comta tibi dote, probavit
Non minus invictam Regibus ille fidem.
Diligit hunc merito Ludovix; hunc Pace togata
Consiliis victor gaudet adesse suis.
Plaudere flexanimæ didicere palatia voci,
Qua vix Borbonio notior ulla lari est.
Stravit ad augustos iter hac aditumque penates,
Quam legis; hac petiit regia tecta viâ.
Frigore concretam penitus pervasit in Arcton;
Cimmeriæ plenam noctis obivit humum;
Nec satus Alcmenâ, nec quo penetrarat Iäcchus,
Sidereas meritis pactus uterque domos;
Aula secuturum ne non deferret honorem,
Præmia virtuti jure reposta suæ.
Ingeniis res sit quantilla capacibus orbis,
Parva Briennæo munere charta docet.
Percensendam oculis, quam tempore totius anni
Vix pede decurras, hora dat una viam.
Quid non concipiat spatioso pectore rerum,
Tam breve lustrati quo facit orbis iter?
Posteritas, gaude post busta resurgere Romam.
Roma Briennæo sospite salva tibi est.

ELEGIA VII.

Ad Iohannem Frcdericum Gronovium. In qua Elisabethæ Heinsiæ sororis unicæ è vivis excessus, ac obitus viri illustris Ratboldi Hermanni Schelii deploratur; & hoc & illa sub eandem fere tempestatem morte præcoci elatis.

QUæ lex indomito finem positura dolori
Detur, & in lacrimas imperiosa meas?
Quis desiderio capitis modus adsit amici?
Subveniat tantis unde medela malis?

O de-

UVA. BHSC. BU 06120

O decus, ô rerum columen, Frederice, mearum,
Hic mihi te præsta: nunc opus arte tua est.
Vix bene sopito germanæ fulmine raptæ,
Quæ mihi plus oculis cara duobus erat,
Scheliaden vixisse meum fert rumor; & illo
Te mihi sublatum funere, meque tibi.
Occidimus, Frederice: jacent duo funera nobis,
Perpetuum misero funera flenda mihi.
Fundite inexhaustum, pia lumina, fundite rorem.
Vos decet æterni mite doloris opus.
Saxa velim fiam Sipyleïa flebile marmor;
Ut lacrimis tempus pascar in omne meis.
Orba licet natis, felix Amphionis uxor,
Quod par mœrori sufficiensque suo est!
Felix, ætherios quæ matutina sub ortus
Memnona flet cæsum nunc quoque mœsta parens!
Siccine te mediæ demesso flore juventæ
Immatura dies hausit, Elisa soror?
Matronale decus, soror unica, siccine nobis
Atropos immeritam nil miserata tulit?
Dum Cynosura rigens, Helice dum cruda moratur
Sidus Hyperborei me glaciale poli.
Nec cumulare datum est pia justa recentibus umbris:
Nec cineres urnâ composuisse tuos:
Non digitis oculos alta jam nocte natantes
Condere: non rigidis oscula ferre genis.
Halitus admoto fugiens nec in ore receptus;
Nec singultatum lingua profata vale est.
Arceor officiis feralibus: efferor absens.
Hei mihi, quòd sine me me rogus iste tulit!
Miscendus cineri fueram cinis, ossibus ossa;
Ne mihi deserto lux odiosa foret.
Ecqua suos Superos habitura modestia voti est,
Has quoque cum maneat dura repulsa preces?
Usque adeone, Dei, vos invidiosa rogabam;
Ut nullo pietas pondere digna foret?

Heu

UVA. BHSC. BU 06120

Heu fratri comperta fides ! heu ſola meorum ,
Vivere quos propter ſit mihi dulce, ſoror !
Nunc ubi pax morum eſt, non expugnabilis iræ ?
Nunc ubi compoſitæ mentis alumna quies ?
Ille pudicitiæ ſoli placuiſſe marito
Ambitus, & caſti pectoris ardor, ubi eſt ?
Gaudia per natos ubi diſpenſata virumque
Omnia ? pro laribus nunc ubi cura ſuis ?
Tene mihi poſthac , ſoror ô jucunda , carendum eſt ?
Ten' video coram , nec videoque , ſoror ?
Occurris ſolita ſub imagine plurima nobis :
Irrita ſed viſus ludit imago meos.
Amne pater Pelopis medio ſic aret, & ori
Obvia fraudatam concitat unda ſitim.
Ne meminiſſe tui cogar , miſeranda , meique ;
Pocula Lethææ quis mihi tradet aquæ ?
Deſolatus agam quid enim, cinerique ſuperſtes
Sanguinis infelix relliquiiſque mei ?
Inferias genetrixque ſuas , genitorque , ſororque
Unica defuncti jam genitoris habent.
Occidit & viridi præceps Rutgerſius ævo :
Gloria funeſtæ ſic quoque certa domûs.
Maximus hunc Regum multo dignatûs honore eſt.
Intulit Arctois hic Helicona jugis.
Fœderibus Getico patriam dum jungit Achilli ,
Lataque Teutonici nominis arma , jacet.
In me vulneribus non eſt locus. ultimus adſto
(Hei mihi !) pars orbo quantulacumque lari.
Schelius, has clades ut ferrem fortiter , egit :
Omnia qui , raptis tot mihi , ſolus erat.
Ille ſuam adverſis in caſibus , ille ſecundis ,
Me numquam fruſtra poſcere paſſus opem eſt.
Huic ego me totum permittere : credere curas
Huic ego : fortunis hunc onerare meis.
Hic mihi conſilio monitiſque ſalubribus abſens
Adfuit. ah fatis non temerandus amor !

Hoc

UVA. BHSC. BU 06120

Hoc ſibi noſtra chelys ſub judice tacta placebat.
Succeſſum ſtudiis præſtitit ille meis.
Mene fugis? men' deſtituis rationis egentem,
Non hanc pollicitus nuper, amice, fidem?
Tiphy, ratem tumido cur deſeris æquore quaſſam?
Vela procelloſo cur, Palinure, mari?
Heu patriæ lux magna rei! ſe Belga Senatus,
Curia conſultis ſe gemit orba tuis.
Libertas adſerta, Salus te publica poſcit,
Caſſa patrocinio vindicis illa ſui.
Gronovi, tua junge meis lamenta querelis.
Tertia pars noſtrum rapta duobus ïo eſt!
Tolle inviſa, precor, ſolatia. cruda recuſant
Auxiliaturam vulnera ferre manum.
Non mihi fomentis totaque Machaönis arte,
Se dolor, attuleris, qua moderetur, opem.
Ipſe Coronides nec abegerit omnibus herbis,
Quod tacito ſaniem pectore virus agit.
Sedandæ lacrimis lacrimæ, dolor arte doloris.
Ingenium luctûs huc refer omne tui.
Ille quidem nexu nobis alienus avito,
Nec conſanguineo nomine junctus erat.
Sic tamen aſſiduo jam pæne domeſticus uſu:
Euryalum Niſo qui ſociabat amor.
Ingenium ſublime viro: facundia mentes
Artificis nodo ſtringere blanda ſoni.
His ſuper obtigerat vix enumeranda bonorum
Copia, cum cenſu, patriciumque decus:
Altaque nobilitas, tituliſque replentibus ævum
Gentis honoratæ conſpicienda domus.
Extulit ô quantum viduata Sycambria civem,
Haud alium poſthac cui genitura parem eſt!
Spem patriæ rogus iſte ſuæ ſecum abſtulit omnem,
Materies nimium fletibus apta meis.
Tune etiam moriturus eras juvenilibus annis?
Tune etiam Stygiæ præda vehendus aquæ?

Nec

UVA. BHSC. BU 06120

Nec moriture tamen : si tempore major Apollo
Me docet auspiciis vincere fata suis.
Alite sidereum tranabimus æthera cycno,
Quem mea Calliope frænat, amice, tibi.
Hæc ego de Parcis latura nocentibus ævum,
Deque triumphata morte, tropæa paro.
Mole sepulcrali dejectos erige vultus;
Nam datur : huc, fidum, pectora tolle, caput.
Pectora Romanas complexa tenaciter artes;
Nec minus Actæi pasta liquore favi;
Sacra vetustati penetralia, sacra Minervæ;
Hospita Latoo Pierisinque domus;
Mille domus Venerum, pia pectora, mille Leporum;
Qua sibi figebat Candor in æde larem;
Pectora Amicitiæ salvete capacia sanctæ.
Vos ego divino semper honore colam.
Fallor? an immensis acuuntur damna querelis?
Nec dolor infandi se capit ille mali?
Maxima plangorem plangendi caussa relegat.
Musa supervacuam quid sibi tentat opem?
Præsidium tanti vox cesset inutile luctûs.
Par stupor est damnis solus, amice, meis.

ELEGIA VIII.

Cum Christinæ Alexandræ Suecorum Reginæ Virgilium abs se castigatum auctor mittebat.

ECce cothurnati Musam, Regina, Maronis;
Quam cultu nitidam nunc potiore probes.
Tempus edax rerum, chartisque inimica vetustas
Dente sacrum fœdo depopularat opus.
Præsentem membrana dedit non una medelam:
Hac Maro consimilis jam sibi factus ope est.
Obfuit ut vati, sic profuit utilis ætas,
Vulnus & auxilium vulneris illa tulit.

Cuspide

UVA. BHSC. BV 06120

Cuſpide lethali ſic quæ confixerat ante,
Pelias Herculeum mox fovet haſta ducem.
Mantua Mæonios hac æquat laude libellos:
Hic dolet Aſcræum Græcia victa ſenem.
Spectandam populis, poſt ſe, quo maxima rerum
Dat majeſtatem pignore Roma ſuam.
Quo nullum Auſonio conſpectius orbe refulget,
Sive ſit ingenii, ſive ſit artis, opus.
Id tibi par munus meritæ, Regina, paratur:
Caſtalio quoniam non aliena choro es.
Erigis adſertrix, & dextra vindice mulces
Credita præſidio Numina noſtra tuo.
Tityron & ſegetes, ſed comiter, excipe lætas;
Armaque tot Phrygii caſibus acta ducis.
Qualem oculo Cæſar terras moderante poëtam,
Cantantem ut facili Livia fronte tulit.
Tecta gravabantur quos nuper inhoſpita plebis,
Vix privata locum quîs dabat ante domus;
Nunc fovet auguſtis Regina penatibus altrix,
Inque clientela nos jubet eſſe ſua.
Poſthabet Aöniis patrium diadema deabus.
Huic modo ſubductos dat tibi, Phœbe, dies.
Otia te requiemque ſuam, te gaudia mentis
Unica laſſatæ deliciaſque vocat.
Mnemoſynæ ſacrum ſalve caput. auſpice Fama
Serus ab exſequiis hic tibi perſtet honor.
Poſt palmas toties dextra victrice relatas,
Auctaque conſiliis ſpretaque regna tuis;
Poſt pacem patriæque datam, veniamque ſubactis
Hoſtibus; & partum geſta per alta decus;
Nunc Sophia & Pæan populo ſæcloque, nec unii,
Conſpicuam faciunt, imperiumque tui.
Quæ te regnatis ſpoliare Trionibus auſa es,
Ut poſito ſceptri pondere noſtra fores.

ELE-

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA IX.

Populus Anglicanus bellum ſecundum adverſus fœderatos Belgas inique & nulla de cauſſa moluntur.

LEgibus infenſum funeſta Britannia nomen,
(Ah quoties Diris exagitata tuis!)
Nuper ab exſilio motæ tibi reddita mentis
Si potes invitum ferre patique diem;
Pectore ſi fontes ſe diſcuſſere tenébræ,
Et ſcelerum nubes corde remota tuo eſt;
En tibi ſervatum, ſi qua eſt ea gloria, Regem:
Hæc te conveniant nunc benefacta velim.
Reſpice victricem fati patriæque minacis,
Sacrilego domitam nec tibi Marte, manum.
Reſpice depoſitum, genti quod amica Batavæ
Numina dum credunt, conſuluere tibi.
Nos ſibi ſeceſſum, ſibi nos ſelegit aſylum.
Sic etiam per te vix bene tutus erat.
Et tamen evaſit. noſtrum ſcelus ergo ſuperſtes,
Ergo ſcelus noſtrum Rex tibi ſoſpes erit?
Quid pretium meritis pro talibus arma reponis,
Et populaturas Nerea mille rates?
Proſtratam te nuper adhuc in litore noſtro
Suppliciter dominos vidimus ante pedes;
Cœptaque damnantem dementia; vixque furoris,
Poſt longam rabiem, pœnituiſſe tui.
Quam cito ad ingenium vecors, inſana, rediſti!
Da tenuem noxæ criminibuſque moram.
Quod ſumus inſontes, populo capitale nocenti eſt.
Abſtulit his Regem par quoque cauſſa ſuum.
Plura tui ſceleris ne quære. ſupervenit horror;
Nec ſinit infandi me meminiſſe mali.
Carolus ille tibi, quo nunc regnante ſuperbis,
Redditus è noſtro, ſanguinolenta, ſinu eſt.

UVA. BHSC. BU 06120

Hoſpitii reverere deos, reverere Penates,
Qui caput hoc Furiis eripuere tuis.
Credere quid Regi de te, male grata, licebit;
Ni, per quos rediit Rex tibi ſalvus, amas?
Flecte manus crudas, (tibi, dira Britannia, dico)
In ſua quæ verſæ viſcera nuper erant.
Quæ gravis ipſa tibi, patriæque parentibus hoſtis,
Fas conculcabas omne, Deoſque ſimul;
Nec dominos mites, nec libera fata ferebas;
Nunc aliena pati commoda poſſe negas?
Sit ſatis inſaniſſe ſemel: ne Rege necato
Se via flagitium ſternat in omne tibi.
Sat tibi ſint cædis tua funera. perſpice temet.
Quis non innumeris oſſibus albet ager?
Elue, materno quod adhæret pectore tabi.
Adſimulant Procnen hæc monumenta tibi.
Quando erit, ut tumulum, quando, ut tot manibus urnam
Juſtaque, qui pro te ſuccubuere, feras?
Hoc age, ſi quid agis. quis enim ſatiaverit umquam,
Te tuus haud potuit ſi ſatiare cruor?
Præda tibi merito ſit faſtidita Batavus,
Quæ tabo ſolita es dapſiliore frui.
Quid tibi plebeio cum ſanguine, ſanguine lautam
Regali nimium paſcere docta ſitim?
Mancipium fœdis cum tu famulare tyrannis
Colla dabas turpi ſerva premenda jugo;
Cum tu carnificem domino fatumque paternum
Sæva intentabas vipera, noſter erat.
Fovimus exſilii nos vulnera: liſque pudendæ
Maxima ſævitiæ cum pietate fuit.
His fata in jugulis ſcrutabere regia. Regi,
Si non vis nobis parcere, parce tuo.
Vel, ne quid debere meis videare Batavis,
Redde prius Regem, quam tibi ſigna canunt.

FINIS LIBRI ELEGIARUM QUARTI.

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

CHRISTINA AUGUSTA, SILVARUM LIBER PRIMUS,

Ex occasione regiorum sollemnium festi inauguralis conscriptus.

Accedunt alia non dissimilis argumenti.

Ad Illustres ac Eximios Viros

PETRUM ET JACOBUM PUTEANOS FRATRES.

—— *nimium vobis, Arctoa propago*
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.

UVA. BHSC. BV 06120

UVA. BHSC. BU 06120

Viris eximiis illuſtribuſque

PETRO ET JACOBO PUTEANIS FRATRIBUS

NICOLAUS HEINSIUS

S. P. D.

INgrati profecto ſimus, meritoque bona noſtra non perſpexiſſe poſteris olim videamur, Puteani fratres virorum præſtantiſſimi, ſi ſcientiis paulatim in effœtam frigidamque ſenectutem vergentibus, ac cum profunda nocte jampridem conflictatis, ſalutare ſidus illud in ultimo præter expectationem ſeptentrione nuper exortum, & Arctoo ad nos cœlo demiſſum, Chriſtinam, inquam, Auguſtam, regalis faſtigii exemplum ſæculis omnibus memorandum, debito non proſequamur cultu, quotquot ab amore virtutis atque ab eruditionis obſervantia cenſeri utcumque volumus. Ego certe, etſi probe intelligo, quam nihil ad commendationem tantæ Principis, meritaque ejus in humanum genus immortalia exaggeranda conferri à me poſſit, pietati tamen dandum eſſe arbitratus ſum quicquid id eſt lucubrationis, quod vobis, ecce, nunc ſe ſiſtit, ne ſolus propemodum unicuſque, inter publicas tot præſtantium ingeniorum acclamationes, non audirer, neve felicitatem, quæ nobis obtigiſſet, maximam viderer diſſimulaſſe: cum alius vix eſſet, qui plura privatim illi deberet, quemve luculentioribus beneficiis demeruiſſet. Huc accedit, quod dubiis aut parum fidis acceptæ narrationibus chartæ nequaquam commiſi, ſed ea quibus ſpectator interfui: adeo quidem, ut ægre omnino ac permoleſte fuerim laturus, ſilentio involvi diem tam lætum tamque auſpicatum; qui delati Auguſtæ imperii primus illuxit: cum gentes etiam remotæ, Galli, Itali, Germani, Belgæ, (& qui non?) ſuis lucem ſacratiſſimam applauſibus certatim proſecuti ſint. Ita

UVA. BHSC. BU 06120

igitur existimetis volo, necessitatis legem esse, nec duram tamen, quæ me compellit ad provinciam hanc, periculosæ plenam aleæ, suscipiendam, quamque pro dignitate & mole nemo laudabiliter satis, utcumque disertissimus, administrarit. Incitavit præterea, & obnitentem traxit, qui alios forsan ab incepto deterruisset, argumenti ipsius splendor, famæque meæ me securum quodammodo reddidit, quod minime metuendum auguraver, ne apud aures tam modestas laudibusque suis maxime infensas, assentationi quicquam dedisse, aut difficilioris ingenii hominibus vero parum consentanea viderer prodidisse de Principe panegyricis encomiisque nullis non majori. Faxit tantummodo largitor Deus, ut perennent hæc bona, utque porro decurratur ab Augusta nostra latissimus ille omnigenæ virtutis campus eo successu eoque ardore, quo per illam est apertus jam nunc ac stratus. Prærogativam equidem haud minimam duco, nec temeritatis Musas meas posse incusari, quæ infirmis ac caducis humeris tam vastum onus ausæ sint sustinere, &, ut summa quævis dixerint, humanisque nequaquam meritis deferenda, adulationis tamen (quam aversantur ac procul, uti par est, habent) ne tantillam quidem eas suspicionem incurrere. Quoniam autem ad divinam Augustæ Principis benignitatem beneficiaque, quibus me cumulavit, haud protrita frequenter recurrendum est: hic etiam fructus ad me redundat inde, quod iis succubuisse potius, ac manum dedisse victam, ut demus conatum nostrum minus jam successisse nobis, dicendus sim, quam argumento defuisse; gratique magis animi reus apud judices non omnino iniquos censeri ac damnari merear, quam arrogantioris confidentiæ. Genus dicendi secutus sum, non quale à me ipso maxime probabatur, sed tumultuarium, & quo castigatius vix adhiberi licebat inter turbas aulicas strepitusque, quibus assiduis interpellabar, dum huic meditationi incumbo. Secessus si contigisset, limæ curatiori insudare poteram. nunc pro lima mihi sit benignus lector, & censuræ severiori non nimium indulgens, necesse est. Fabulis etiam, quam par erat, frequentioribus, iisque ex ultima depromtis antiquitate, versus subinde meos adspergi, non defore, qui reprehensuri sint, jamdudum prævideo, quique obscuritatis præter ordinem captatæ me insimulent, ac rerum hoc nomi-

UVA. BHSC. BU 06120

nomine obsoletarum ostentatorem coarguant. Verum adeo notæ me hujus & reprehensionis non pudet, ut studio dataque id operæ à me factum esse nec profiteri erubescam, & laudabile in primis consectandumque iis præcipue, qui hisce sacris operantur, censeam. Præstantium sane ingeniorum, quorum opera felici ac cura poësis perpulchre de novo post renatas litteras polita sit & exculta, cum tam nostro hoc quam superiori sæculo uberrimus proventus fuerit ac annona perquam fœcunda, in eo tamen peccasse illorum plerique sunt dicendi, quod neglectu fabularum, ab antiquitatis æmulatione longius recesserunt. Nos Plutarcho maximo gravissimoque auctori adsentimur, poësin ἄμυθον, plane ἄψυχον esse: fabulasque vitam atque animam Musarum nuncupare non dubitarim. Vestro autem nomine, Puteani nobilissimi, cur libellum hunc inscribendum ratus sim, multæ æquissimæque proferri rationes possunt. Nam illibatus ille vester erga me measque res adfectus, assiduumque istud studium conatus meos promovendi, jamdudum exigebant, ut tot tantisque beneficiis apud me locus esset. Nolo recordari nunc antiquæ necessitudinis, quæ parenti meo totis quinquaginta annis, quæ avunculo Joanni Rutgersio arctissima constantissimaque vobiscum intercessit. Nolo multis per eruditum orbem documentis testati meminisse adfectus, quo vos, quo virum amplissimum optimumque atque ad ornandas litteras unice natum Claudium Puteanum, Senatorem Parisiensem, genitorem vestrum, & in vobis virtutum suarum dignis heredibus etiamnum superstitem, Josephus ille Scaliger olim complexus sit. qui heros vere incomparabilis cum & parentem meum filii loco habuerit dilexeritque, dum vivebat, ac vobis etiam conciliarit, ab hoc mutuæ necessitudinis vinculo alienum quo me jure arbitrari possim haud video. Ad partes hic præterea vocandus foret Christophorus Puteanus, sanctissimis integerrimisque moribus senex, germanus vester natu maximus, qui Romæ quondam hærentem animo, supra quam dici possit, benevolo me fovit, turbisque mox à seditiosa plebe Neapoli excitatis, non sine præsentissimo vitæ discrimine, immixtum, eâ sollicitudine eaque curâ dignatus est, qua nec pleniorem à parente desiderarim. Sed privata hæc olim pluribus loco oportuniori

UVA. BHSC. BU 06120

prædicanda abrumpamus. Nunc certe, ſcriniis diligenter excuſſis, nihil inter mea occurrebat, quod veſtro magis aptum nomini, ob argumenti præſtantiam, vobiſque convenientius judicarem hoc libello. Nam & vos, Puteani fratres, inter regiarum virtutum præcipuos cultores jure numeramini, & egregiis utriuſque veſtrum in rem litterariam meritis ſit, ut Chriſtinæ Auguſtæ quam proxime conciliemini. Quapropter perperam feciſſe non videor, qui viris litterarum amantiſſimis, eoque claris ubivis gentium ac commendatis nomine, unicum eruditionis præſidium, unicam Muſarum ſpem, virtutum numeris abſolutam omnibus Reginam, inſcripſerim, dicarim: quam cum excipietis, ſalutem ſcientiarum ac tutelam committi vobis & concredi ſcitote. Valete. Scribebam Lutetiæ. Anno CIↃ IↃC LI. *Kalend. Septembr.*

UVA. BHSC. BV 06120

NICOLAI HEINSII

CHRISTINA AUGUSTA.

VOTA Lycaonii longum ſuſpenſa Bootæ,
Sceptraque regalem tarde ſubeuntia dextram,
Ac nimium dilata vocant. memorabile feſtum
Spargere per populos, & amantem carmina famam,
Auguſta ſtimulante, libet. Quid in avia Cyrrhæ
Luſtra vagum, quid in antra rapis Parnaſſia, vatem?
Nil tecum, Thymbræe, mihi. præſentius illa eſt
Numen, & incurſu mentem graviore fatigat;
Ac magna attonitos perſultat imagine ſenſus.
Vaſtæ molis onus, rerumque impervius ordo
Deſuper incumbit titubanti humeriſque timenti:
Sed leviter tentanda rudi præconia plectro,
Tutaque inexhauſti libabitur ora profundi.
Namque omnem Aöniis heroïda ſiſtere templis
Cura alios premat alta: mihi, Thymbræe, negatum.
Inſtabat ſperata dies. Cyllenius omni
Juſſus Atlantiades conquirere numina mundo.
Paruerat. mora nulla: ruunt properantque vocati
Sub tectum ſollemne Dei: cum præſcia rerum
Talibus ora pater fatumque trahentia ſolvit.
Noſtis, ïo Superi, (quid enim non noſtis?) adeſſe
Fatifero Parcis texendam ſtamine lucem:
Quam fore præſidio terris populiſque ſaluti
Haud vanam ceciniſſe Themin Permeſſide in umbra;
Ante ſatum Pæana, fides; quamque aurea rebus
Sæcla relaturam ac rutilantis tempora venæ.
Jamque adeo inſolitas revocatâ Pace per urbes
Ad patrium Phlegethonta ferox ſe vertit Enyo.

UVA. BHSC. BU 06120

Quod caput in terris regali dignius auro?
Aut quamnam librata manum sic sceptra decerent?
De meritis, Superi, nihil addimus. omnia vobis
Quippe inspecta diu, seraæ nec egentia laudis.
Cernitis, ut liquidâ flammantum luce comarum,
Verticis ut toto radiati gestiat auro
Sol amicire diem, atque hilari dotare sereno;
Ut solito bigam conspectior incitet Eos.
En viduata vacant habitantibus oppida turbis:
Undique confluxere: trahunt spectacula mundum.
Vulgi undam vix aula capit. penetrale per altum
Agmina densa animo late exsultantia fervent,
Invisamque moram querulis damnantia votis.
Muneribus certari, ac gratæ pignora mentis
Crebra per augustos cumulari dona penates,
Quæ vel Sol oriens vel miserit occiduus Sol.
Nos quoque, ne tam læta dies, tot plena bonorum,
Effluat ignavis, operæ mandemus oportet.
Quilibet hic sua dona, suas exhauriat artes,
Si qua, Dei, pietatis inest reverentia vobis.
Hactenus omnipotens. subito gemmantia plausu
Atria perstrepuere: sonat consentibus æther.
Omnibus unus amor, ruere omnibus una cupido,
Mandatisque auferre moram. nihil ocius olim,
Pulverei dum rauca fremunt certamina Circi,
Vix bene carceribus pernix micat ungula laxis,
Prævertitque fuga stimulantis verbera dextræ.
Jamque incepta operum molimina, jamque peracta.
Usque adeo properasse juvat, studiisque probari;
Tantaque in obsequio concordia. prima Dearum
Saturno prognata, Jovis conjuxque sororque,
Chrysolitho rutilum atque ardentis luce pyropi,
Et crebro intextum diadema adamante ferebat,
Donum opere egregio, nec quo laudatius ullum
Incola jactaret Liparæi Mulciber antri.
Tum sceptrum ex auro solidum Libycoque elephanto,

Cui

UVA. BHSC. BV 06120

Cui pretium addiderat Carmanide quicquid in unda
Eruit Eoi populatrix India ponti;
Quicquid Erythræo pretioſæ litore mercis;
Ebria Sidonio vel lana quod imbibit oſtro.
Ordine quiſque ſuo mox cætera turba Deorum
Reginam venerantur, & augent munere cultum.
Munychiis quos inter honos Dea maximus aris,
Pectora Gorgoneæ cui ſpiris ſepta colubræ,
In ſe oculos adſtantum ac lumina fixa trahebat.
Illa auro baccaque rigens & murice textum
Bis madidum Tyrio, rari monumenta favoris,
Rari operis monumenta, manu verſante terebat.
Quod cura exactum vigili aſſiduoque labore
Multa ſoporato luſtrarat lumine Phœbe,
Luſtrarat roſeo miratus lumine Titan.
Non ſic artifici variantem pollice telas
Intentamque operi Colophonia vidit Araçhne:
Nec laudatrices ſic commendaſtis Athenæ
Stamina Mopſopiis molitam inſignia templis.
Hic ſeriem auguſtam ac atavos ab origine reges,
Heroas belli eximios laudiſque togatæ,
Claraque geſta virûm, atque undantes ſanguine lauros,
Hic Romam Getico bis adactam Marte rebellem,
Europamque Aſiamque aquilonia jura ferentes
Finxerat æternâ Tritonia ſtaminis arte,
Et ſudarat acu. ſed plurimus æquore lato
Emicat, atque oculis ſeſe trepidantibus offert
Aſper in arma Parens, & ab omni parte triumphat.
Barbaricas Moſchorum acies ſeu proruit haſta,
Perque nives glaciemque ac luſtra habitata procellis,
Perque in nubiferis disjectas rupibus arces,
Avia fatali Boreæ premit horrida ferro.
Seu modo Sarmaticum regni pacator in hoſtem
Fertur ovans animis, inſultanteſque repellit,
Tergaque fulmineo Mavorte fugacia turbat.
Campo agilem rapit acer equus, ſtimuloque negantes

Arri-

UVA. BHSC. BU 06120

Arrigit indignans in curſum atque excutit armos:
Nunc rigidis ſe præcipitem calcaribus aufert,
Pulvereamque trahit poſt terga volucria nubem.
Sanguineis ſpumam rutilantem undare lupatis,
Hinnitumque audire putes. ruit omnis in unum;
Unum armis votiſque premunt furiata juventus.
Ille inconcuſſa ſtipatos mole fatigat,
Lethiferumque rotans coeuntibus ingerit enſem.
Prona caput circum volitans Victoria notum
Radit, & admiſſis criſtam Dea ventilat alis.
Jamque hoſtem percellere, & inſtigare ſecutum
Hortarique ducem. ſtagnanti lubrica tabo
Fumat humus, ſpiſſoque negant ſatura arva cruori.
Tollitur in cumulum numeroſi funeris agger,
Ac circa exanimes addenſet campus acervos.
Singultus morientum & fractum in ſtamine murmur
Cum gemitu effundi minitante noviſſima credas.
Qualis ad Odryſii glacialem Strymonis undam
Mars tonitru armorum & clypei radiantis aëno
Fulgure concurrentem acie ſi fertur in hoſtem,
Nulla mora eſt; diſperſum agris jam procubat agmen:
Quaque ruit, fuga certa viris, mors certa ſequuntur.
Ecce pedem famulis Germania trita catenis,
Præda gravi domino rerumque indigna jubenti,
Roſat humum lacrimis, tremulaſque miſerrima palmas
Supplicat intendens, libertatemque repoſcit.
Advolat, ac lapſam victricibus erigit ulnis,
Abſolvitque jugo. paulatim fronte ſerenâ
Pulcher honos, roſeæque vigor micat ore juventæ.
Adlambunt dominos per fœta novalia paſſus,
Atque exſultantum palantes more feruntur,
Non jam acies, jam non incendia dira trementes,
Danubiuſque Albiſque & arundinifer Viſurgis,
Lenæoque comam veſtitus palmite Rhenus.
At non adſuetæ violenta tyrannidis atrox
Jura rapi ſibi paſſus adeſt in prælia Cæſar.

In-

UVA. BHSC. BU 06120

Infelix, quem cauſſa Deis adverſa trahebat !
Illum Erebo, illum omni Furias Phlegethonte cientem,
Raptantemque faces & in obvia quæque rotantem,
Cernere erat, rabidumque odiis permittere Martem
Nequicquam, ac miſeris meditantem infanda colonis.
Hic equiti obtritam ſpicæ viridantis ariſtam,
Et late agricolis vaſtata mapalia cæſis :
Illic undantes involvere mœnia flammæ,
Et fumo immixtam glomerare ſub aſtra favillam.
Quoque magis moveare, inſcripta nocentibus armis,
Ac mentita habitum fera Relligionis Enyo,
Supplicis ora ferens & opem auxiliumque rogantis,
Pone ducem comitari, & inermem obtendere olivam ;
Tum niveo æratum velari pectus amictu.
Ultor adeſt inopinus, & excutit arma prementi,
Avertitque dolos. quem circum Eſthoſque Gothoſque
Lappioneſque, æterno obſeſſam frigore pubem,
Terribiles habitu formas, latoſque Triones
Et crudam patriis excitam ſedibus Arcton
Conſpiceres, Scythiciſque Aquilonem effundier antris.
Gens vitæ impatiens, & obire facillima letum,
Quo laus cumque vocet : cui multus fronte minaci,
Multus in exſerto ſpirabat pectore Mavors :
Mente alacres, mente intrepidi per ſtrata feruntur
Agmina, per ſpiſſos jaculorum examina nimbos.
Nec procul Auſtriacos averſo fervere paſſu,
Tergaque nudantes conſternatoſque videres.
Horror in ore viris, ſibi prævia Parca rigentum
Funereos oculorum orbes torpore gelarat.
Frons fati jam plena ſui, nec imagine lætâ
Damnantes confeſſa Deos. decreſcere ſenſim
Hinc magis atque magis tenuatum cladibus agmen.
Arma valent meliora. At te, Germanice vindex,
Res tantas operumque inter pulcherrima raptum,
Vixque orbi exhibitum, vix ſeptem luſtra trahentem,
Subducit Fortuna tuis ingrata triumphis.

Auctor

UVA. BHSC. BU 06120

Auctor abeſt; nullique datum memorabile nomen
Mortis laude tuæ. ſolus ſibi vindicat æther
Invidiam hanc, & prona neci diſque æmula virtus:
Neu tam ſacrilego manus una ſuperbiat auſu,
Vulneris innumeri prodebat ſigna cadaver.
At victrix anima, & ſedem averſata caducam
Corporis, exuviaſque inimica in ſtrage natantes;
Jamque aſſerta ſibi, nulloque coërcita vinclo,
Quadrijugis cognata ſubit candentibus aſtra
Jure triumphali, ac properos citat aëre curſus:
Dumque citat, majorque oculis majorque videri;
Et rutilo inſolitum diffundere vertice lumen.
Ceu poſt Threïcii præſepia verſa tyranni,
Lernamque Cretenque, & aëniſonam Stymphalon,
Luſtraque vindicibus Nemeæ pacata ſagittis,
Poſt cæſas ubicumque feras, ubicumque fugatas,
Sprevit Echidnæum letali virus in Oeta
Filius Alcmenæ Tirynthidos, eque receſſu
Corporeo ſuus emicuit, patrioque renidens
Monſtrorum domitricem animam permiſit Olympo.
Hactenus arma Patris. poſt ordine prima ſecundo
Filia ſexum animis atque annos laude ſuperſtat.
Filia, conatus virtutum immenſus, & in qua
Exhibuere Dei quantum ſibi poſſe liceret.
Illam inter lituos & caſtra rigentia ferro
Naſcentem adſpicias, arridentemque tropæis;
Et ſpolia audaci tractantem hoſtilia dextra:
Jamque in laurigeris ſpirantem ultricia cunis,
Ac longum Auſtriacis lugenda penatibus arma;
Inferiaſque Patri. mox autem, ubi firmior ætas,
Mnemoſyne docilem præceptorumque capacem
Inſtruit, exempliſque animum ſtimulantibus altum
Et patriæ multa virtutis imagine tollit:
Neu nihil è tantis ſibi dotibus arroget auctor
Staminis, en ſublimem animam gravidamque triumphis
Pacis ad innocuos paulatim avertit amores,

Seque

UVA. BHSC. BU 06120

Seque adeo totam miranti inſpirat alumnæ,
Et mediâ Pietate armorum temperat uſum.
Illa autem moreſque Deæ geniumque monentis
Mente avidâ imbibere; ac ſe fingere numine dignam.
Ambabus par frontis honos. quotieſque vel agmen
Præcipitant hoſtile fugâ, vel mœnia vellunt,
Ancipiti ludant animos ambage tuentes,
Reginam auratæ ni prodant tegmina peltæ,
Ægide obumbretur Phorcynide pectora Pallas.
Bellorum interea, nova res inopinaque viſu;
Dum ſtimuli irarum ac leti contemtus utrimque
Sævit, & in palmam concurritur impete toto,
Peſque pedi, manibuſque manus, oſque ore premuntur,
Cæſarianam aciem ſubducere terga phalangi
Vandalicæ conſueta, ac projicere arma notares:
Mox pacem lacrimis, pacem petere indice dextra,
Confeſſoque genu. nec non Regina ſubactis
Annuit, & turbam venia dignatur inermem.
Tum ſpolia extemplo pacali obnubere olivâ,
Bellonæque inferre rogis monumenta nefandæ
Congeſtis abolenda parat. Pax ubere demum
Fœta ſinu permulcet humum, cornuque benigno
Triſtibus adfulget populis. jamque exſule ferro
Sæcla virent paſſim melius ſortita metallum,
Et facies rerum Saturnia reſpicit orbem.
Mons erat, apricis quem frondibus innuba laurus
Myrteaque innexis operibat ſilva corymbis,
Contiguum gemino diſtentus in aëra dorſo.
Inter utrumque jugum pubentibus area campis
Ridet, & arboreæ vernum decus explicat umbræ,
Occiduamque refert comitata crepuſcula lucem.
Puniceis alterna roſis candentia cernas
Lilia, Narciſſumque, & Apollineos Hyacinthos,
Et ventis debentem inimicis nomen Adonin.
Præterea innumeras, quas ingenioſa laborum
Diſtinxit variis Natura coloribus, herbas.

Am-

UVA. BHSC. BU 06120

Ambrosium Zephyrus foliorum miscet odorem,
Prataque fertilibus fragrantia ventilat auris.
Fons salit in medio, liquentibus ille nivemque
Electrumque imitatus aquis, tenuique susurro
Prodit oberrantes latebrosa per avia flexus.
Mille nemus geniale petunt hinc inde volucres,
Mille canor volucrum torrentibus adsonat undis.
Divæ habitant, numeroque novem; decor omnibus unus
Incessuque habituque, atque omnibus una juventus.
Pars incompositis persultat rura chorêis,
Pars ebori testudineo nunc carmina mandat,
Nunc canit, aut alio sua decipit otia ludo.
Hic requies Reginæ: hæc lustra foventia lassum
Pectus, & à vasta curarum mole remissum.
At quoties (nam sæpe solet) subit hospita Tempe,
Mollem adsurgentes occursantesque per herbam
Intueare Deas. nec juris in avia tantum
Frater habet, Clariique soror Latonia fratris.
Tum, sive ipsa canat, sive audiat illa canentes,
(Pondus id arbitrio est) huc flectere lumina cunctæ,
Et nusquam attonitis non prona silentia silvis.
Spirat opus, vivaque animantur imagine telæ.
Talia lustrantes (neque enim sinat omnia tempus
Percenseri oculis) alio rapit obvia pubes.
Legati extremo gratatum ex orbe frequentes
Accurrêre. juvat moresque habitumque sonumque
Rimari, & quid quisque ferat, quibus adsit ab oris.
Pars quorum assiduis attriti Teutones armis,
Gens olim invicta & fidei præclara probatæ;
Impatiensque sui ac rerum studiosa novarum,
Pronaque non stabiles variari Gallia ritus;
Certa eadem indomito Lethen avertere nisu,
Seu rapere hostili subit impetus agmine laurum,
Seu tersæ magis eloquio se tollere vocis,
Et latebram penetrare audaci Aganippida plectro:
Cimbrique Moschique, ac sanguine pastus equino

Sarma-

UVA. BHSC. BU 06120

Sarmata, & Hesperio Tartessius accola Bæti;
Atque alii innumeri, quos ubere misit abundans
Terrarum Europe, & multa fœcunda virum vi.
Unica abest, abiitque, pios aversa paratus,
Regalique sinum fœdata Britannia tabo:
Ah misera, & quantus legum pudor! inquinet aures,
Dî, macula hæc nullas. annalibus exsulet oro
Crimen, & ignaros liceat latuisse nepotes.
At quibus incumbam diris, quas imprecer autem,
Fæx Erebêa, tibi, pro tam furialibus actis?
Junge scelus sceleri; nec sacro sanguine sparsas
Pœniteat rubuisse manus. quid enim ausibus addi,
Flagitiisque potest? hæc pœna nocentibus esto,
Hæc scelerum, Dî, pœna: juvet, juvet esse nocentes.
Agmine mox denso proceres occurrere contra
Magnanimique duces, quibus ora virilia pulchris
Belli inscripta notis, & adhuc sordentia palmæ
Pulvere Teutonicæ, desudatisque tropæis.
Cætera nobilitas post adfluit, adfluit agmen
Virgineum, formaque nurus radiante decoræ.
Addiderat formæ se conciliator amorum
Cultus, & innumerâ rapiebat jaspide visus:
Tum radios hebetabat onyx Sardoa diurnos.
Ecce polo delapsa Venus, Venus ecce per altas
Luxuriat lasciva nives, umbræque comantes
Idaliæ saltus, vernique Amathunta teporis,
Et Paphios Cnidiosque lares Cypronque paternam
Nimbiferis gelidæ mutavit rupibus Arcti.
Ah tibi ne frigus noceat, Cytherea, malignum;
Ne qua tibi, Cytherea, facem necet aura videto:
Scilicet insolitæ Boreales ferre pruinas,
Et pede canentis transmittere terga profundi
Marmoreo solidata gelu. sed plurima merces,
Quicquid in exsilio duri paticre, sequetur.
En pretium non vile viæ. victoria, qualem
Prælia nulla ferant, magnique operosa tropæi,

UVA. BHSC. BU 06120

Nec tanto ſudore tibi quam fleveris emtam,
Mite levamen erit. de tot præſtantibus unam,
Formarum quas Arctos alit certamine dives,
Selige virginibus, cui vincla jugalia nectas;
Aut omnes, ſi forte libet; Dea, ſelige formas.
Huic uni modo parce, precor. vetat ipſa, negatque
Numinis eſſe tui, Tritonidos æmula magnæ,
Æmula non nuptæ Tritonidos, æmula Phœbes,
Atque uni viduas regno dare ſedula noctes
Sollicitumque torum. nec cura frequentior ulla eſt,
Quam ſibi commiſſam populi ſpectare ſalutem.
Huic proli ſtudet illa: juvat ſic eſſe parentem,
Et generi humano maternum impendere pectus.
Sed quid ego incaſſum, quid inanem carmine pompam
Proſequor, Aönio cum tam fœcunda ſuperſit
Materies plectro? tu pompæ totius inſtar,
Sceptrorum fatale decus. tu ſola moraris
Attonitas mentes, & in hæc ſpectacula fixas.
Tu memoranda mihi. trahor ultro, & in æquor apertum
Prolicit obluctantem ingeſta ſine ordine virtus.
Nam quid tam facile eſt, quam commendare merentes?
At tibi, cui totum ſe prodigus obtulit æther,
Nil Muſæ queat eſſe ſatis: non ſi ipſe Cithæron
Incubet his humeris, hoc pectore Caſtalis undet.
Indolis an diæ teneris documenta ſub annis
Exceſſura fidem, nullique imitanda ſenectæ;
Fortunam an famulantem, & prævenientia ſemper
Votum fata canam? an juſſos properare triumphos
Vix genitæ, cunaſque premenți atque ubera matris?
Hæc olim. nunc major honos, nunc Pace renatâ
Te Tritoniacæ prævelat termes olivæ.
Tot cives ſervaſſe parum eſt. clementia major
Hoſtibus invitis & lucem ferre coactis
Demtus amor leti, ac pereundi excuſſa voluptas.
Civibus hos præferre ſuis clementia major.
Ne male tentatis toties ſe crederet armis,

Exoran-

UVA. BHSC. BV 06120

Exorandus erat, desperatave salute
Cæsar inexpletum stimularet ad ultima Martem.
Hic, Augusta, labor longe magis arduus ipso
Palmarum sudore tibi. quin spreta subactis
Paxque invisa palam longâ adsuetudine cladum.
Sustinuit dubitare diu, quamquam obvia semper,
Annueretne piis fati indulgentia votis.
Tam diro adflarat damnatas sidere partes
Ne superaretur superari audacia præceps.
Extorsisti animis pugnacibus otia ferri,
Et mores, Augusta, tuos. victricia quantum
Arma negare tibi est, & fastidire triumphos!
Felix strage sua Germania, vulnere felix,
Cui tam clementi succumbere contigit hastâ,
Tam placidâ cecidisse manu! quæ præmia palmæ,
Libertas ubi pœna datur, cladesque saluti est?
Nulla usquam tam Marte ferox, tam bellica tellus,
Militis ense tui cui desint vota domari.
Non ævo quodcunque ducum memorabile prisco,
Non Genitor, si vivat adhuc, tuus ipse recuset:
Quem, ne nil operum Gnatæ supereesset agendum,
Credibile est voluisse mori, tituliscque superbam
Præcipitasse colum, seque avulsisse tropæis.
Illum altis, Augusta, animis, illum indole totâ
Reddis: in hac superat redivivus imagine nobis.
Iste vigor, vigor iste, genas qui flammeus ambit,
Lumine qui rapidi se fulguris exigit instar.
Quamlibet ignaro te prodat & indicet orbi,
Indicet iste Patrem. si dissimulare labores
Natales, Augusta, tuos; vigor iste loquatur.
Moliris quodcunque, decet. successus agenti
Nusquam optatus abest, studioque supervenit omni.
Seu frendentis equi sternaci credita tergo
Tolleris, & lævos nunc qui glomeretur in orbes,
Nunc campi effusa præpes terat æquor habenâ;
Sanguineique armata refers simulacra duelli,

UVA. BHSC. BV 06120

Miratur veteranus eques, vincique fatetur.
Non sic, Edono Hippolyte cum fulminat Hæmo,
Lata securigeram formidat Amazona Thrace.
Te sibi malit onus Neptuno natus Arion,
Oenea quam magnum Talaïoniumve Adrastum;
Te Lacedæmonio pro Castore Cyllarus optet,
Et Larissæo mutarit Xanthus Achille.
Aliger hoc placidos sub pondere præbeat armos
Pegasus, excusso Lyciæ domitore Chimæræ,
Quem dudum, Regina, tuus tibi frænat Apollo.
Sive agiles ductare subit per prata choréas
Impetus, & parco mulcere negotia ludo,
Jam Laërtiades minùs admirabitur exsul
Progeniem Alcinoi Phæacida: malit & Arcton,
Quam Corcyræos ridentia poma per hortos:
Et cum Nausicaâ tibi cesserit hospita mater.
Debita ferre libet rapido seu præmia cursu,
Et vix rasura segetem contendere plantâ,
Non tibi, mille licet pennis agitatus Amorum
Vicerit Hippomenes volucrem Schœneïda, certet.
Seu gravidam telis juvenilia terga pharêtram
Venatricis habent, & fallere nescia dextram
Fulmineas librata feras prævertit arundo:
Haud aliter (nisi si qua Deas conferre Deabus
Invidia est) Dictynna sui per devia Cynthi
Taygetive jugis aut Mænalii Erymanthi
Nil erraturo prædam super intonat arcu.
At major tibi cura nemus prælataque menti
Thespiacum, & paucis peragratæ regibus umbræ.
Hic nocturna quies: hic cælibis otia lecti,
Posthabitum curis invitatura soporem.
Mæonidæ quod Musa patris, laus prima sororum,
Vel pandi Ascræus moderator cantat aratri,
Quodque Syracosius blandâ dat arundine pastor,
Sceptrorum gravitate trium quandoque relictâ
Volvere fert animus posito fomenta labori;

Stami-

UVA. BHSC. BU 06120

Stamina Dircæo Venusina vel æmula plectro,
Vel lymphæ quicumque adflantur Hyantidos haustu.
Præcipue lateri vix divellendus adhæret
Augusto, creberque comes, quem Mincius orbi
Contulit Ausonio Graiæ nihil invidus undæ;
Tuque, anima Aönidum, ingenio Dîs proximus ipsis,
Corpora cui variant transformia mille figuræ,
Peligni Sulmonis honor, quem gurgite toto
Enthea, quem toto possedit Apolline, Phocis.
Sic legum innuptam genitricem Heliconia Tempe
Quondam adamasse Themin fidei dubitanda vetustas
Prodidit, innocuum non aversantibus orbem,
Cedere Dîs terrâ nec degenerante coactis.
Hos sibi secessus, atque hæc arbusta dicarat;
Fataque sortilegis hinc certius edita Delphis.
Cingite gentiles victricia tempora lauri,
Sed duplici merito nunc cingite; Cynthius ipse,
Ipsa suo plectat quas Piëris aurea Pindo.
Nec Sophiæ neglectus amor: quæ regula morum
Certa tibi, vitâque & in omnibus emicat actis.
Scis, quid Socraticæ sapientia postuma mentis
Dius Aristocles, quid Carneadêa recludat
Porticus, & Samiæ facunda silentia turbæ;
Quid rigidi fato mens illabefacta Cleanthæ,
Vel culti tutela senex Gargettius horti.
Præceptis exempla magis seu lecta probantur,
Temporis est animus cani scrutator, & omnis
Cui nihil historiæ, veteris nihil abditur ævi.
O quoties parcamque cibi parcamque soporis,
Ac penitus fixo versantem has pectore curas
Phosphorus, atque alio mox idem nomine Vesper,
Conspicit exoriens pressâ stupefactus habenâ!
Totâ adeo tibi mente & in ossibus æstuat imis
Non satianda sitis, superansque alimenta, sciendi;
Quæque opibus regni vel gaudeat omnibus emtum,
Si quid adhuc pectus latuit cœleste, doceri.

UVA. BHSC. BV 06120

Consiliis quod robur ineſt, prudentia qualis!
Quanta gravi vis arbitrio, felixque facultas?
Ut nihil occluſum, nil non penetrabile rerum,
Cuncta abſtruſa patent? utque in caligine denſa
Pectoris humani circumfuſiſque tenebris
Gnara tenere viam, & veri indagare receſſum!
Utque oculos ſemel olim aut fidam admiſſa per aurem
Senſibus indomitis animoque tenaciter hærent,
Nullius immemori, niſi ſi qua injuria læſit!
Quæ pietas, & quanta Deûm reverentia menti,
Quoque loco Genitrix! quîs non ſtudiiſque merentem
Obſequiiſque foves? tibi plurima pectore Mater,
Mater in ore tibi; Mater tibi prima voluptas.
Poſt Superos nihil eſt, quod ſic venerere colaſve,
Cuique ſuæ titulum magis imputet illa ſalutis,
Quam, Regina, tibi. patrio nec certius olim
Præſidium ſenio, cum pergama Doricus ignis
Lamberet, Æneas, & in Hectore Troja periſſet.
Quis nitor eloquio! quid tam rigidumque ferumque,
Tamque inconcuſſum te non flectente dometur!
Ipſe tibi (licet erubeas renuaſque, fatendum eſt)
Cui nihil invictum, nihil obſtitit hactenus uni,
Mars det terga tuus; validiſque potentius armis
Fulmen adorarit ſubmiſſus in ore diſerto.
Nunc Amphionio Cadmeïa carmine Dirce,
Nunc juſſæ properare ad plectra vocantia cautes
Se licet attollant: quique horrida ſæcla ferarum
Silvaſque ſcopuloſque Oeagrius impulit Orpheus,
Cum bis in erepta defixus conjuge mentem
Iſmara flexanimo mulcebat inhoſpita queſtu.
Inventura fidem es jam prodigioſa vetuſtas;
Nil tibi jam de te non credimus. inſidet ori
Mille Charis comitata Jocis, mille aurea Pitho,
Nativuſque lepor, nec præmeditata venuſtas,
Et ſale condîti largo ſermonis acumen,
Illapſurum animis vel nectare dulcius omni.

Huc

UVA. BHSC. BU 06120

Huc concurrentes tot in uno pectore linguas
Adjice, tot populos, tot dissona vocibus ora.
Non sic Carpathius se vertat in omnia Proteus,
Aut Thetis Hæmonii thalamum subitura mariti.
Fastus abest; mens læta nihil regale minatur
Imperiive sui; placidisque potentia verbis
Exsulat, & comi frons majestate renidet.
Scilicet in tanto Fortunæ culmine, quanto
Paucis stare datum, coacervatosque favores
Inter adulantis pronique per omnia fati,
Privatos crebro gaudentem adsumere vultus,
Et quosvis adfantem ultro, nullique negantem
Intrepidos aditus & aperta palatia turbæ,
Quis satis extollat? precibus quis mitia frangi
Pectora, quantumvis non indulgenda petantur?
Quænam supplicibus præsentior ara juvandis,
Aut tam promta manus? quod numen amicius æquo?
His oculis, his (inquam) oculis, Augusta, notavi,
Cum gemitus miserorum & singultantia verba
Lumine non ferres sicco, lacrumæque subortæ
(Luctarere licet te dissimulare) paterent.
Tum quod habent liquidum, quod non dubitabile sanctæ
Indolis indicium, facilem veniæque paratum
Delictis offerre animum, noxamque professos
Excusare sibi, nec facti onerare pudorem.
Adde super, quæ cælitibus contermina virtus,
Ignoscentem aliis sibi nil ignoscere lapsæ,
Et maculâ procul esse omni, populoque regendo
Fæce illibatam terrenâ advertere mentem.
Virtuti jam quantus honor! quæ munera recto!
Quanta incorruptos circumstant præmia mores!
Pauperies Helicone procul vetus accola cessit,
Quæque Bonam Mentem nunc non comitatur Egestas.
Ut cultis favet ingeniis! quam lance benignâ
Vel minimas in quoque sagax expendere dotes!
Judex dura sui nihil ostentare, nec ullas

UVA. BHSC. BU 06120

Illecebras quamquam meritarum admittere laudum,
Et titulos factis superare modestia gaudet.
Salve hominum, salve adsertrix memoranda Deorum,
Par priscæ decus Astrææ, rerum optima Virgo;
Quam vitiis invictam hostem, virtutis asylum
Oppressæ sontique fugam tellure minantis,
Res tulit humanas miserari providus æther.
Hinc pro te assiduis onerari Numina votis,
Totque preces fusæ, tot tura crepantia templis.
Stellifer hinc, quacunque patet, decora intonat axis
Sceptri lata tui, & reverentia certat amori.
Hinc famâ majorem animam, ac miracula morum
Creber adoratum cupido ruit advena mundo.
Quaque relegandi vix pœna severior olim,
Gaudet Hyperboreis habitare penatibus exsul,
Injussamque fugam Geticas molitur ad arces,
Si qua sibi laudis non vanæ conscia virtus
Ferre negat viles eluctatura recessus,
Ac tenebris emergere amat, lucemque mereri.
Hinc aulâ prodire frequens lictore remoto,
Hinc dare te turbæ mediam secura per urbem,
Nec procul urbe minus: nulloque satellite, nullo
Milite cincta latus, valido sed amore tuorum.
Hoc te præsidium, facit hæc custodia tutam:
Hic vigil est, Augusta, tuus: noctesque diesque
Excubat ille tibi: munimine niteris isto.
Quod magis optandum tot facto cladibus orbi,
Aut quod amabilius, quod dignius æthere donum,
Quam pia, quam clemens, Superisque simillima princeps?
Obvia cui semper laudatis præmia factis
Ingerit æternæ stimulatrix dextera Famæ,
Et quamvis avidam prævertens muneribus spem.
Cui necis humanæ cupido nihil addere Marti
Unica avaritia est, effundendoque cruori
Parcere, nec Stygiam naulo cumulare carinam,
Cui magnos ratione animos frenare magistrâ

Re-

UVA. BHSC. BU 06120

Regnandi auſpicium, ac primas ſibi dicere leges;
Nec fatis dare vela ſuis, cautamque vocanti
Fortunæ obſtruere, ac Superis hortantibus, aurem.
Denique tot meritis quam ſpectatiſſima virtus
Supra homines, ſupra invidiam laudemque, levavit.
Dî, quibus imperia, & regum ſubnixa poteſtas,
Si lacero conſultum orbi, ſi gentibus itis,
Auguſtum ſervate caput. quid enim amplius optent
Publica vota boni, vel quid magis utile rebus?
Annuite; & tanto dignati munere terras,
Indulgete diu; patriiſque quod abſtulit annis
Sæva colus Parcarum & inexorabile penſum,
Gnata ſibi annumeret. non invidioſa precamur,
Non indigna peti: meritis niſi præmia deſunt,
Et cladum mundo pereunti extrema paratis.
Sint rata vota; piis, Dî, ſint ſua pondera votis.
Tu vero, Æolios inter crudiſſime fratres,
Tolle caput, Borea: nec humum torpentibus alis
Rade, nec immites circumflent ora procellæ,
Cana nec impexâ ſolidetur ſtiria barbâ.
Sed roſeo vultu, ſed luxuriante juventâ
Conſpicuus, viridique comam redimitus ariſtâ
Fertilibus convexa fove vernantia flabris,
Et Geticis infer Nabathæum frugibus annum.
Pone feros habitus, ac mitius indue numen.
Qualis Erechtheâ cum virgine captus amator
Horrida frangebas miti Pangæa volatu,
Et croceo ſteriles mutabas flore pruinas.
Plus aliquid pulchrâ nunc diligis Orithyiâ,
Palladias patriam quamvis ea jactat Athenas,
Piræoſque ſinus, & opimum mellis Hymetton.
Terra poteſt, quod ames, quæ non dare? ſed quod adorent
Sæcula, perpetuis quod plauſibus evehat ætas
Quælibet, ac naſci ſtupeat potuiſſe negetque,
Frigoribus populare tuis. molimina laudum
Abſolvit Natura tibi: tibi contulit uni,

UVA. BHSC. BV 06120

Tot populis quantum ante nihil. quid Roma, quid Hellas,
Utraque præstantes virtutibus, utraque claræ,
Jungantur licet atque uno cumulentur acervo,
His meritis æquale dabunt, his dotibus addent?
Ecquis, ïo Borea, te laude beatior omni?
Quis fratrum certare tibi temerarius ausit?
Non anima uda Noti, liquidæve Favonius auræ
Prodigus, aut qui cinnameum Dîs nutrit honorem
Eurus, odoratæ cui supplicat India messis,
Turilegæque Arabum gentes, ac decolor Eos:
Quem sibi præ reliquis comitem Pallantias ambit
Hippodatæ natis, & amico fœdere junxit.
Fortunate Aquilo, te post tot sæcula Marti
Sacra, tot adflatas armorum fulmine brumas,
Puniceoque nïvem liquefactam sanguinis imbre,
Mitigat en melior Pallas dea. projice ferrum,
Paxque tibi præstet non emtos cæde triumphos.
Quique olim Latiasque acies Graiasque subactor
Indomitis fregisti armis, pessumque dedisti,
Ingenii superanda tibi gens utraque cultu,
Quod supereſt ad palmam, & inermi vince duello.
En quod agas, dum bella silent. regnante Minervâ
Desperare nefas, brutæque silentia mentis
Crimen, & admitti flagrantem excludere Famam.
Mitibus incumbendum & eundum ad sidera chartis.
Certior hinc veniet tibi gloria: quamque perennem
Talibus auspiciis, tutamque à tempore, præsto.
Quo feror, & rapidis do vela tumentia ventis?
Nullius apparent terræ juga. portubus orbum
Æquor aro, vastæque ratis luctata procellæ
Quam subeat non spectat humum. latera undique gurges
Adsultans titulorum immani oppugnat acervo.
Seraque spes reditûs, nec iter decurrere probro est,
Et temere ablatæ jam vota superflua terræ.
Quis mihi succurrat, nisi tu, quam plurima virtus,
Plurima conspicuam clementia reddidit orbi,

Rerum,

UVA. BHSC. BV 06120

Rerum, Auguſta, ſalus? tu poſt tot vivere juſſas,
Quas modo damnarat Lacheſis Mavortia, gentes,
Hoc reliquis, precor, adde caput. da figere litus.
Eripe tot laudum minitantibus, eripe, ſaxis.
Haud exploratos incautam traxit in æſtus
Multus amor mentem, & nimiâ pietate fefellit.
Da veniam, tantis nil par nil dotibus æquum
Aut dici potuiſſe, aut non potuiſſe ſileri.
Sic exorandos, meritis quos ipſa piaſti,
Plurima concilient Superos tibi tura per orbem,
Nullaque non pro te ſe gaudeat ara rogatam.
Te tua Pax, tu Pace tuâ diuturna fruaris,
Perpetuumque velint Dî terris numen utrumque.
Sin (quod fata vetent, quod abominor) arma reſumes,
Marſque iterum tentandus erit, ferroque vacandum;
Militet invictis, ſeque inferat ardua, caſtris,
Et Dominæ adſuetas iteret Victoria palmas.
Sed meliora Dei. nec ſi Fortuna malignam
(Ut levis eſt) rebuſque tuis ſe præſtet iniquam,
Quo noceat, quove obſit, habet. tot tolle triumphos,
Tolle arceſque, & opes, & aviti inſignia ſceptri:
Plus ſceptri eſt in mente tua tibi, mente triumphi.
Hic regnum, quod nulla dies concuſſerit ævi,
Æternumque tenes & inexpugnabile fatis.

Ad Reginam: cùm Poëmatia illi ſua mitteret auctor.

SIdus inoccidiuum ſeptem, Regina, Trionum,
Faxque Lycaoniæ clarior igne facis,
Fulmineo nec patre minor, quem bellatonantem
Mars per Sarmaticas horruit ipſe nives;
Innocuæ cape Pacis opus; te vindice tandem
Quæ male deſerram diva reviſit humum.
Hæc tibi ſe debet, de totque clientibus una eſt:
Hæc poſt tot Superos muneris una tui.

Eſt

UVA. BHSC. BU 06120

Est aliquid, longis satiari posse triumphis,
Victricique modum ponere velle tubæ.
Quid quod Apollineas mitissima respicis artes,
Temporis exemplum non imitata tui?
Quid quod & ipsa canis; nec te latuere probantem
In Clarios veterum plectra sonora modos?
Regia res, res digna tuo, Regina, favore
Carmen & Aönio pollice tacta chelys.
Quo minus est mirum, mea si Polyhymnia pallet;
Si timet Augustas lenta subire manus.
Nullius ut meriti sibi conscia fluctuet ecce;
Ut lare privato posse latere velit.
Cunctantem tua jussa trahunt: properare necesse est.
Rustica sit, juris ni neget esse sui.
Lustret Hyperboreas igitur non sponte pruinas,
Quæ nihil antiqui jam loca moris habent.
His hospes modo Naso meus lætetur in oris,
Et Geticam Latio præferat exsul humum.
Quicquid id est, (nam velle tibi, Regina, probari
Ambitiosa nimis vanaque vota forent)
Anne sit invidiæ dubito mea Musa ferendæ,
Ausa quod ante sacros procubuisse pedes.
Erige, namque potes. Divûm genus, erige lapsam;
Teque magis dignum fac meditetur opus.
Sat mihi, si veniam temeraria cœpta merentur.
Plura verecundo non decet ore peti.

Gratiarum actio pro poëmatiis bene exceptis.

REgina victrix, germen acre Bellonæ;
Arctoa Pallas, non inutili telâ
Armata dextram, sed duellico ferro,
Et quod tremiscat hostis, hostis expertum
Supplex adoret; Mater alma castrorum,
Cui Mars vocanti, cui triumphus inservit;

Quid

UVA. BHSC. BU 06120

Quid eſt, quod aures rumor accidit noſtras,
Haud negligenter lectitaſſe te luſus,
Effrenis olim proximuſque non ſano,
Nec ſat modeſtæ quos calor juventutis
Luci dicarat? Tene, Martium fulmen,
Ten', reſtitutrix elegantiæ antiquæ,
Muſarum aſylum, vena dia Permeſſi,
Legiſſe luſus? ten' probaſſe jam lectos?
Quid tam benignâ, quid precemur auguſtâ
Dî, mente dignum? ſic facillimi mores,
Sic temperata comitate majeſtas
Longum ſuperſint, ſæculoque plus uno
Credantur orbi. Dî, fruamur hoc voto.
Servate terris pignus illud invictum,
Cui Marte creta non Amazonum ductrix
Semiramiſque, ſed pudica, certarint:
Non feminarum quicquid hactenus clarum eſt.
Annis parentem laudibuſque, Dî, vincat:
Poſt tot triumphos pace vincat æternâ,
Et quæ triumphis una plurimis præſtet:
Germanicamque mutet ocius laurum
Ramis olivæ lætioribus lauro;
Hoc flagitare, velle ſcimus hoc ipſam:
Suaque comta fronde Pallas exſultet.

Reginæ Dianam ſaltanti.

QUalis Partheniam Phœbi germana per umbram
Virgineos ducit, non ſine fratre, choros;
Crure quidem ſuccincta tenus, nudata papillam,
Sparſaque ludentes per caput omne comas:
Sic quoque caſta tamen. ficto laſcivia paſſu,
Et morum gravitas cedere juſſa, decent.
Alitibus nihil illa, feris nihil illa timetur:
Pone jacent nervi, pone pharêtra jacet.

Talis

UVA. BHSC. BU 06120

Talis Hyperborei rectrix primæva Trionis,
Ænula Mænaliæ, nec minor ipsa, Deæ,
Attonitos dubiâ fruſtratur imagine viſus,
Perque puellares emicat una choros.
Cernis, ut exſultent Satyri procul hirta juventus,
Inque deam proni, ſi via detur, eant?
Spicula jamque manu cupida molitus in illam
Et tremat, & furtim figere tentet, Amor?
Tela quid, ah male ſane puer, temeraria perdis?
Deſine: vulneribus non patet illa tuis.
Pectora non hæc ſunt tibi pervia. flecte, Cupido
Irrite, ſacrilegam flecte, proterve, manum.
Gnata Jovis vinci, quamvis invita, fatetur;
Seque velit magno ſic placuiſſe ſibi.
Cynthia, da veniam; palmæ tibi ſorte carendum eſt.
Si dubitas, fratrem conſule, Diva, tuum.
At tu, per populos quam laudibus æqua paternis
Fama triumphali vectat opima rotâ,
Quam leve, tot bello gentes, Auguſta, ſubactæ;
Vincere ſi Superos jam tibi ludus erit!

Magnæ Muſarum Nutrici.

HActenus Aönidum gratis vaga caſtra ſecutus,
Non ego pars inopi, Phœbe, pudenda choro.
Da veniam profugo, niſi das alimenta, poëtæ.
Juris, ut eſuriam, non vacat eſſe tui.
Vin' carpantur opes ab avis mihi, Phœbe, relictæ?
Hac quaſi non malim vivere lege meus.
Quam bene, nos ſani quod plebs negat eſſe cerêbri,
Qui paupertatis ſpe tua turba ſumus!
Ut Clio jejuna meos depaſcat agellos?
Tam fatuus non ſum, Phœbe. quid ergo? vale.
Quo mihi damnoſos ad plectra famelica cantus?
Hæc ego; turbatâ mox lyra fracta manu.

Ille

UVA. BHSC. BU 06120

Ille quidem erubuit, se pollicitusque daturum est;
Sed nihil in loculis, quo revocarer, erat.
Invicti Regina Getæ subrisit, &, Hospes,
Sit tibi cura lyræ, cætera crede mihi,
Dixerat: adjecit dictis sua dona, ratamque
Spe citius trepida jussit adesse fidem.
Sit pudor ingratis obtundere fata querelis.
Stat modo damnatam rursus amare chelyn.
Quæ merito certare valent præconia tanto,
Temporibus Princeps unica fama tuis?
Aurea restituis quæ Pindo sæcula; per quam
Vatibus obstructas non habet aula fores.
Continuent, Augusta, tuam tibi Numina mentem,
Quo pia nil majus poscere vota queant.

Dedicatio Claudiani poëmatum.

REgina, diæ laudis arduum exemplum,
Tutela Pindi, lex sacrata regnantum,
Os aureum, os Hymettio favo plenum,
Scientiarum vita, termine ô pulchri;
En limen ardet obsidere Phœbêum,
Semperque apertos Delio choro postes
Audax poëta, non Quiritium è turba
Cantor profanus, fæxve Romulæ plebis:
Sed cui moventi plectra Honorius sacram
Indulsit aurem; cui Senatus adplausit
Rerum ille victor, rector ille terrarum,
Stilichoque magnum lumen orbis Arctoï.
Ad te citatos ecce promovet gressus,
Aulæque reddi, quam reliquerat, gestit;
Nostri laboris non inutili curâ
Tandem expolitus, plurimisque jam liber,
Quîs inquinatus ante squaluit, nævis:
Musarum ocellus, summus artifex fandi,
Salubribusque plenus ora præceptis:

Quo

UVA. BHSC. BV 06120

Quo Nili alumna nil venuſtius jactat
Lagêa tellus civitaſque Alexandri.
Sive arma verbis atque adoreas magni
Herois æquat, inque laude virtutis
Pulchræ occupatus tollit indolem Auguſti
Infantis altam, callideque ſic format
Fingitque, qualem par ſit eſſe, laudando:
Sive occupatos à ſpadonibus faſces
Servis tuetur; ſeu vocantur ad partes
Rufinus atrox menſque dira Gildonis.
Plectri ſonorus, quemque ſæculo dignum
Cenſere poſſis barbaro minus naſci;
Primis ſecundum nempe vix poëtarum,
Si floruiſſet re vigente Romana.
At tu ſerena fronte, fronte privata,
Imperviaque mente regio faſtu,
(Qua ſupplices dignaris ac adorantes,
Meque inter illos) munus excipe oblatum,
Auguſta Princeps. ſis benigna, ſis præſens;
Parvumque, magno largiare quod vati,
Superfluumque de negotiis tantis
Sepone tempus, quîs tenêris adſtricta.
Seu mole non laſſanda dextra vel tota
Sceptri prementis oſculis fatigatur,
Omniſque fervet aula perpeti plauſu
Fœtas triumphis gratulantium pugnas;
Regno capacem ſive ſpiritum advertis,
Æquaque libras lance publicum pondus,
Aut lex ferenda eſt, teque vindicem agnoſcit
Salvo imperantis jure tuta libertas.
Nunc mentis ille dius igneæ fervor
Spectante cœlum diſtinetur in cura:
Nunc tot gerendis una ſufficis rebus.
Jamque auſpicalem Vandalo togam armato
Admittis humeris, & tropæa præſcribis;
Hoſtemque adacto frangis ingenî telo

Facun-

UVA. BHSC. BU 06120

Facundiæque, mox per arma frangendum.
Ithaci diſerta ſic propago Laërtæ,
Suadere ſollers, conſiliîque felicis
Auctor probatus; ſic triſæculi Neſtor
Xanthi fluentis Ilioque fatalem
Movere linguam, patriæque nutanti
Haud defuere uterque in arduis rebus.
Submiſit ultro victor arma Pelides,
Teucrique frater, atque Oïleos proles;
Regum ipſe rector ceſſit Atreo cretus.
Nec ſic celêbrant bella geſta Tydiden,
Dextraque non inerte ſaucius Mavors,
Quam pacis artes. inde plurimi factus;
Magnoque Tydeus creditus minor gnato eſt.
Hæc laus virorum ſumma, parva pars veſtræ;
Regina, laudis. ſexus hac tuus jactet
Neu ſe palæſtrâ. quippe feminæ gyro
Tot ſæculorum ſi volubili illuſtres,
Heroïdum ſi lecta turba priſcarum
Siſtantur orbi, Tænaroque prorumpant;
Quam magna adæquet Fama dotibus tantis;
Nullam exhibebit. hoc tibi triumphatæ
Gentes fatentur, perduellis agnoſcit,
Admittit hoſtis. Quid gravantur hanc laudem
Aures modeſtæ? quid ſilentium imponis
Non audienti? cur, quod omnium vox eſt,
Cur, quod renatus Sol, quod occidens prodit,
Uni tacendum? juris hîc tui non ſum,
Regina; teſtor. ut renuntiem Famæ,
Ægre obtinebis. deprecamur hoc primum.
Sin obſequendum eſt, obſequemur inviti.
At non ſilebunt ſaxa: ſaxa quod reſtat,
Pro me loquentur; conſcientia abſolvet:
Regalibus quæ ſola non patet juſſis.
Hæc ſalva nobis. ſceptra nulla, jus nullum,
Ut veritati deſit illa, præſtabunt.

UVA. BHSC. BU 06120

Effigies Reginæ.

SI modo conſpicuam ſe dia Scientia rerum,
Diaque ſe Virtus præbet; utramque vides.
Legem Arcto poſuiſſe parum quis credat, & inter
Tot titulos ſceptris vix tribus eſſe locum?
Imperium, Fortuna, tibi licet omne repoſcas;
Quod nullo pereat tempore, majus habet.

In Reginæ natalem viceſimum quartum.

LUx lætiſſima, lux amica rebus,
Sanctum nil magis, aut magis colendum,
Qua Sol temperat arbiter dierum,
Et curru celer exigit citato;
Miti ſtamine cui benigna Clotho
Phrixi vellera tota deſtinavit,
Cui fuſum tereti polivit auro:
Noſtræ tempore ſerior ſenectæ
Longum ſæcula poſteroſque nomen,
Lux, perlabere. ſit redire curæ,
Curæ ſit tibi millies reverti,
Illa ſoſpite, qua jubente nobis
Ut nos numine, Dî, fovetis æquo!
Sed quam, Dî, nihil hactenus precamur!
Pubis dux Pyliæ quot egit annos;
Auroræ Phrygius quot ante conjux,
Cumæam cumulentur ad ſenectam.
Votis hic nihil improbis rogatur.
Quod ſi munera non minora magnis
Chriſtinæ meritis dari neceſſe eſt,
(Gratos ut decet obvioſque votis)
Veſtros, Dî, date, quos meretur, annos.

UVA. BHSC. BU 06120

Ad pacatricem Germaniæ.

QUod populis vitam perituris Marte dedisti,
Dira quod adflicto bella fugata solo;
Subduxit gladiis quod terga prementibus Ister,
Nec spisso tumidas sanguine mæret aquas;
Humanum, Regina, genus pro munere tanto,
Quo neque sperandum majus, in ære tuo est.
Te Natura, Salus te publica prædicat unam:
Nulla tibi meritos non vovet ara dies.
Sera fer ætatem, columen memorabile rerum,
Maxima qua Superis sospite cura sumus.
Sic homines, sic orbis amet te gratus amantem,
Lausque patrocinii gaudeat esse tui.
Invia lætitiæ nusquam loca. plausibus urbes,
Plausibus exsultant persona rura suis.
Quod Themis & Pietas patrio lætantur Olympo
Ad prius invisam cedere rursus humum;
Arva quod agricolis Cererem latura novantur;
Spumea quod solito sub pede musta fluunt;
Quod senium sperare juvat, nec vita dolori est;
Luce quod ætheria vescimur, omne tuum.
Dî tibi dent, quantum nobis, Regina, dedisti:
Nam, dare quod possint, nil, puto, majus habent.

Ad Reginam.

Leo in arena cum aliis feris ter quaterve commissus pugnam pertinaciter detrectat.

TEutonicæ tibi præda leo non ultima palmæ,
Bellua Cæsareo nuper alumna lari;
Marmaricis tremor ille jugis, quem cæde ferina
Latus inexpletum vix satiarat Atlas,
Sanguinea sævire negat nunc mitis arena,
Lentaque in appositas non movet ora dapes

UVA. BHSC. BU 06120

Seu modo fulmineis ſe cornibus ingerat urus,
Sive Lycaoniæ non minor ira feræ.
Illum certa manent ſolitæ faſtidia prædæ,
Numinis adflatum pectora Pace tui.
Quis dirum tam crudus amet te ſoſpite Martem,
Bellua cum mores induat iſta tuos?

Ad Olum.

OLe, legit laudatque meam Regina Thaliam,
Non Reginarum de grege vile decus;
Sæcula ſed meritis ſimilem cui nulla tulerunt,
Cui ſimilem meritis ſæcula nulla ferent.
Rarus honos, dentemque tuum qui jure fatiget:
Sed mala nil confert hic ſibi lingua boni.
Ne quid agas fruſtra, noſtin' tibi quid ſit agendum?
Excute me dominâ, ſi vir es, Ole, manu.
Aut hoc te quia velle negas, fac rumpar & ipſe:
Rumpar enim, dederis ſi potiora meis.

FINIS LIBRI PRIMI SILVARUM.

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

SILVARUM

LIBER SECUNDUS.

Ad Amplissimum Virum

PIBONEM DOMAM.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAUS HEINSIUS DAN. FIL.

Amplissimo Viro

PIBONI DOMÆ

Illustrissimis Celsisque Frisionum Ordinibus ab Actis & Epistolis,

S. P. D.

Hereditariæ necessitudinis lege sacrosanctâ adactus in ipso libelli hujusce limine te compellandum mihi propono, ut vides, Doma amplissime, qui non tantum me & mea ab ungue tenero, hoc est, ab annis jam triginta totis, singulari meher cules studio foviſti atque amplexus es, sed parenti quoque meo intimâ familiaritate junctus ætatem potissimam egisti, ex quo prima eruditioris litteraturæ legamque Romanarum elementa apud Lugdunenses in Batavia nostros adolescens hauriebas. Amorem quippe, quem genitori jam tum præstabas sane eximium, non emigratio à nobis tua & in solum natale adornatus mox abs te reditus, non delati post à popularibus honores, non cura pertinax ac publicæ rei clavo indesinenter adfixa, non longa denique annorum series, discessum hunc tuum subsecuta, vel minimâ sui parte labefactarunt aut infregere: sed absens utcumque ac remotus haud intermisso litterarum officio epistolisque tantum non assiduis sic Heinsium tuum frequentabas, ut ne præsens quidem operam magis continuam & diligentiam seduliorem potuisses illi approbare. Nec non ille te vicissim ferre in oculis, istamque tam constantis studii in te dotem adeo mirari ac deprædicare amicos inter promiscue, ut in nomine tuo tum quoque totus esset, cum sub extrema jam provectæ ætatis, rerum humanarum satur quodammodo ac pertæsus, ne primarum quidem necessitudinum curam ageret assuetam, aut suorum

UVA. BHSC. BU 06120

satis recordaretur. Succurrit etiammum sensibus meis dies ille oppido jucundus, quo studii poëtici primitias, Bredanæ civitati, per militem nostrum fortiter feliciterque captæ, ab adolescentulo dedicatas, epigrammate arguto & venusto posteris laudator callidus commendabas; meque sic exhortabare ad majora ac applausu isthoc tuo digniora audendum. Ex illo quamquam rarius congressi sumus, dum continuatæ per multum temporis intervallum peregrinationes à tuo patrioque me conspectu divellunt, haudquaquam tamen tu oblitus pristinæ necessitudinis, res meas ante hoc quadriennium adversus contumacem æmulorum insultum per quam pulchre gnaviterque es tutatus, & me ipsum, per Frisiones vestros mox iter facientem, dum in hunc Septentrionem contendo, neutiquam es passus viam propositam decurrere, nisi sacro hospitalis mensæ admodum lauto comiter initiatum plurimaque illic benignitate delinitum à te dimitteres. Nec multo post instauratum inter nos litterarium commercium abunde me perdocuit, quantus in re publica administranda, quantus in suggerendis consiliis, vir esses, quamque propemodum unice ad mensuram laudis pulcherrimæ ubertim implendam factus à natura viderere ac formatus. Sed ut persistam in privatis, quibus hic potissimum sermo nunc destinatur, habes, Vir Heinsiani nominis studiosissime, hoc in libello præter alia Alastorem, familiæ nostræ juratum hostem, pro meritis, ni fallor, virtutibusque exceptum: quod poëmatium ante annos hosce sedecim & plures à me conscriptum in prima poëmatum meorum editione non comparuit, cum, ne in lucem promeretur occasione tam oportunâ, intercessissent illi, quorum nutui arbitrioque res meas, quantæ quantæ tum erant, ego ipse permittebam. Excessit quidem è vivis biennio post noster ille adversarius, ut ejus subsecuta morte jurgium omne & certamen sublatum videri jam nunc possit, nisi quod post obitum ab illo supremum diem molestiam etiammum, quod mireris, nobis exhibere, ac insigniter importunus esse pergit is idem Alastor postumis commentariis. Certe cum contemplabar nuper, duram ac malignam ab illo sententiam de studiis meis ferri, ut qucm cavilletur, nil auctorum præstantium unquam evolvisse, præter Claudiani unius & Nasonis scripta; illuc me terrarum delatum

UVA. BHSC. BU 06120

tum credidi, ubi vivos homines à bubus mortuis incurſari ferunt. Equidem, ut tenui atque exſili eruditionis paſtu enutritum victitare me non nego, ita his egeſtatis meæ pannis fortiter memet ipſum involvo, mi Doma, adoleſcens præſertim & ſcholaſticus, qualis deſignor, dum fateatur adverſarius, quod poſt renatas litteras homo unus omnium maxime malignus fatetur, nolens licet ac invitus, epiſtolia non impolite prorſus à me concinnari interdum, & carmen effundi quandoque non omnino malum. Hoc, inquam, ille de me adoleſcente & ſcholaſtico: ſub eam tempeſtatem, qua coloribus jam vivis Alaſtorem, ut in hoc libello eſt videre, non prorſus infeliciter, niſi quid mihi hic blandior, depinxeram. Cum ipſe interea noſter, tantus litterator, & quidem cano jam cum capite, in utraque ſic deſudaret paleſtra, ut nemo poſſet infelicius: proſaque ac verſa oratione ſic uteretur, poſt conquiſitum infinitæ lectionis ex omni antiquitate apparatum, quod de ſe cenſet, ut facile agnoſceres, rem tibi eſſe cum gurgite ac belluone ut voracitatis immenſæ, ſic crudi omnino ſtomachi atque imbecilli, quique omne quod hauriebat eſculenti non in ſuccum ac ſanguinem converteret, ut fieri equidem debebat ab homine ſano, ſed evomeret promiſcue atque eructaret indigeſtum; ac ſi multa in unum jura confundat cocus. Quid enim hoc noſtro in ſcriptis eſt incomtius? quid rudius hirſutiuſque ac ſpinoſius? Sed de Alaſtore omnem fabellam jampridem noſti: qui cum præcipuam ab eruditione laudem captaret ac venaretur, Danielem tamen Heinſium ad paria contendentem, quem amare propter hoc ipſum tenerrime debuiſſet, ſi ipſum litterarum nomen vere atque ex animo adamaſſet, odiſſe odio plus quam Vatiniano & ſcurriliter inſectari aggreſſus eſt. Eo minus, ſi quid video, hic excuſandus, quo majores ipſe in litteratura humaniori fecerat profectus, iſto hominum ex genere haud poſtremus, quos φιλαυτίας atque obtrectationis alienæ veternus ab obſervando atque æſtimando, niſi in ſemet ipſis, ſplendore eruditionis omni prorſus excludit. Cujus & notæ hiſtrionem theologum in Gambriviis etiamnum agere ſuperſtitem aiunt, qui libellum non ita pridem juris publici fecerit nugatorium ac putidum, vernaculo conſcriptum ſermone, in quo, præter alias complures ineptias ac nænias, quas plebecula &

UVA. BHSC. BU 06120

mulierculis è trivio occentat, nam his iſte gaudet unice lectoribus auditoribuſque, de ſuperbia Danielis Heinſii querelam futilem inſtituat orator parum vehemens. Ad hunc nempe ſe in Batavis olim peregrinantem longe difficiliores aditus habuiſſe, quam ad Celſiſſimum Arauſionis Principem. Hæc inſulſus ſcriptor, certa fundi Theologici calamitas & detrimentum præſentiſſimum, qui dum patrocinari arrogantiæ ſuæ ſe retur, vide quæſo, ut ſuoptè indicio prodatur ſorex, mi Doma. Senex nimirum noſter ut præſtantibus atque excitatæ indolis ſive adoleſcentibus ſive viris nunquam non vacabat patebatque, quod tu, quod infiniti alii noviſtis optime, qui intimæ apud illum eratis admiſſionis: ita immane quantum ab ingeniis jejunis & ſenſu artiam bonarum communi deſtitutis abhorrebat, præſertim ſi ſtolidam arrogantiam, qualis hic noſter Thraſo, & faſtum pædagogicum cum inſipientia inſcitiaque multa conjunxiſſent. Exſtet igitur apud poſteros Danielis Heinſii de hoc Arcadico theologo judicium, quoniam exſtare voluit theologus id ipſe: indignum nempe Danieli Heinſio viſum eſſe hunc mulionem Ventidium, quem ad congreſſum ſuum ac familiaritatem admitteret. Numquam equidem, mi Doma, hunc talem ac tantum parentem mihi ſic ſum gratulatus, uti nunc facio, quando manifeſtum fit, fungos ac verveces tam contemptim ab illo fuiſſe habitos. Nec Arauſii herois obviam comitatem eſt quod magno opere jactet aut commendet theologus. nihil enim is præter ſollemne exemplum principum virorum fecit, ſi morionnes habuit indulgenter, & ridere nonnumquam voluit. Danieli Heinſio per privatas fortunas vix dabatur agyrtarum hujuſcemodi frivolis inhiare, homini haudquaquam lauto. Ad Gambrivios dum ante hoc quadriennium devertor, cum viris cordatis compluribus mihi de hoc Pyrgipolynice inſtitutus eſt ſermo, quos cum percunctabar, quid is hominis, aut quid monſtri eſſet, mirâ ſententiarum conſpiratione repoſuerunt, eſſe mortalem at linguæ inſigniter factioſæ, ſic operæ admodum inertis, collegis ſuis juxta ac civitatis magiſtratui inviſum & gravem, contumacem, arrogantem, cymbalum inſcitæ ac ſeditioſæ plebis. plura addebant, & quidem indigniora: quæ Lubecenſes non pauci poſtea mihi confirmarunt. Sed de his alibi. Interim hoc mihi abs te concreditum velim,

UVA. BHSC. BU 06120

velim, id genus mortales ad incrementum rei divinæ non plus conferre, quam aſellos clitellarios ad Iſiaci ſacri religionem. Hi nimirum ſunt, qui formandis atque erudiendis aliis ut temere ſemet ſic intempeſtive prorſus accingunt, ipſi rerum nil omnino aut bonæ frugis edocti: qui alieni vitii quodcumque non ſolum extollunt in majus ac maligne pro lubitu exaggerant, contra omnem temperantiæ modeſtiæque Chriſtianæ legem, ſed, quæ nulla ſunt, peccata adfricant innoxiis, atque immerentibus inſigni petulantia affingunt, ut videantur ipſi nulla mortalitatis maculæ contacti, nullo adſperſi nævo, cum Horatiano Mænio ridiculum in modum ſibimet ignoſcentes, tamquam ignoti nobis, ac in labe propria circumſpicienda quovis talpa cæciores. Pluto adhæc lucroque fœdiſſimum mancipati in morem, libidinumque ac comiſſationum victimæ. hinc fit, ut crapula heſterna necdum exhalata, inflatiſque etiamnum Indorum domitore venis, in ſuggeſtum matutini provolent Sileni noſtri, ac quotidiana illic intemperie in viros præſtantes fanatici debacchentur: eoſdem quoque in ſcriptis muſteis ac parum ſobriis vellicent continui, quantumque in ipſis eſt, ad exemplum Mænadum Threſſarum, quæ OEagri involabant filium, non quidem ungue furiato, ſed veſana voce, divellant impune ac diſcerpant. Verum hoſce ardeliones contemtu ac ſilentio involvi, ſuæque nocti id genus noctuas relinqui, ſatius erat fortaſſe. Alaſtori certe, quia mortuo, malebam peperciſſe. Sed nec ille, mortuus utcumque, modum convitiandi facit, & meæ facultatis non erat, verſus premere aut occultare, qui ab amicis in medium maxima ex parte jam prolati publice dudum lectitabantur. Tu vapulanti fave Alaſtori, niſi mavis mihi verberanti. Vale, Vir ampliſſime. Exaratum Anno CIↃ IↃC LXV. *pridie Kal. Quinctiles.*

EPI-

UVA. BHSC. BU 06120

EPITHALAMIUM

Dicatum Nuptiis Sereniſſimorum Principum Guſtavi Adolphi, Mecklenburgi, Vandaliæ, &c. Ducis; & Magdalenæ Sibyllæ, natæ Ducis Sleſvigi, Holſatiæ, &c.

LITORIS Ægæi penetralibus alma relictis
Belligeram Thracen ſeptemgeminoſque Triones,
Mavortem viſura ſuum, Cytherea petebat,
Nuper, ut aſſuetos animum furiarat in ignes:
Ulteriora pati viduæ divortia noctis
Impatiens, unique toros ſociare marito.
Quem nimis aſſiduum fornax Liparæa tenebat,
Et fuligineo Steropes Titanius antro,
Pectora longe aliis expoſtum inſomnia curis,
Immemoremque Deæ, nec priſtina furta timentem.
Aliger adjunctis frænatur oloribus axis.
Mille rotas circum ſupraque feruntur Amores,
Armati tædiſque manus & terga pharêtris.
Pars dextrâ niveos mulcent plaudente jugales,
Intexunt croceis aut colla volantia ſertis.
Germina vimineis alii Pæſtana caniſtris
Expediunt, ſparſis & opacant floribus axem.
Pars temone ſedet, facilive per aëra gyro
Laſcivos ridente movet genetrice volatus;
Et pariter chorus omnis, Iö Venus aurea, cantant.
Ipſa premens multo ſtimulorum verbere mater,
Neſcia ferre moram, candentes increpat alas,
Et properas queritur nil feſtinare volûcres.
Pectoraque illecebras ſpiranti candida ceſto
Aut ligat incingens, aut crinem fingit, & auget
Conciliatrici nativos arte decores:
Aut gemmis digitos, collumque monilibus aptat.
Jamque Cnido poſt terga procul Cyproque remotis

Perni-

UVA. BHSC. BU 06120

Pernices raptarat agens per inane lupatos.
Ut prope perventum est hyberni plaustra Bootæ,
Ac vetitam æquoreis se mergere fluctibus Arcton;
Hæret: & adductis ex alto lustrat habenis,
Si qua Deum regio, si qui secessus haberet.
Ille autem Edoni scrupolis vallibus Hæmi,
Pugnaces oculis nil dissimulantibus iras,
Sævum atque acre tuens, & se pleniissimus ipso,
Curarum indomito mentem exercetur ab æstu,
Bellaque collectas molitur in altera vires:
Teutonicæ largo rorantem sanguine palmæ
Detergens clypeum, & sordentes pulvere cristas;
Fuscatamque situ atque obtusæ cuspidis hastam
Cote novans, & plenum acuens rubiginis ensem.
Provolat, ut liquidâ venientem agnovit in aurâ:
Ac Divam exsultans his vocibus occupat ultro.
O mihi post longas indulti cædibus ævi
Vix speranda moras, tamen & ventura Dione,
Da, precor, insolitas quid adire subegerit oras.
Me labor infandus jamdudum & plurima strages
Conspectu, mea Vita, tuo divellit amantem.
En, Celta ut patriam victricibus involet armis,
Et cumulum strato semet superaddat Ibero.
Ecce Jovis natale solum Minõida Creten
Hellespontiacis spolium cessisse maniplis.
En populum ponti domitorem & merce beatum
Puppibus advectâ, tot jam labentibus annis
Arma Tago pulchrâ pro libertate moventem,
Nunc à velivolis invadi classe Britannis.
Sed brevis iste furor. populatam denique Moscho
Milite Sarmatiam quot obire pericula cernis!
Ante omnes collisa tamen Germania bello
Quos mihi sudores, quid sanguinis una dedisti!
Relligio laniata comam, Pietasque, Themisque,
Capta cohors Stygiis famulæque sororibus ibant:
Et conculcatæ direpta per oppida leges.

Dond

UVA. BHSC. BU 06120

Donec Hyperborea victor Guſtavus ab Arcto
Oppreſſum ſperata ſalus abſolveret orbem,
Aſſereretque Deos; & ferro vindice pacem,
Juraque ſanciret revocata potentibus armis,
Sanguine & ipſe ſuo. cecidit, cui ſæcula dextram
Nulla tulêre parem. quantâ vi, robore quanto
Conſiliiſque in bella minax! nec terga fuiſſem
Ipſe ego fulmineam dare dedignatus ad haſtam.
Sed, ne priſca querar, meritâ jam ſatque ſuperque
Cæde parentatum eſt invictæ Manibus umbræ.
Sparſa tot oſſa virûm teſtes, quibus omnis ad Iſtrum
Albet ager. Magni nec inultum funus humavit
Noſtra ſui, juſtis armata doloribus Arctos,
Regis & auſpiciis heres digniſſima tanti:
Seraque conſuetos ſpirarunt buſta triumphos.
Nunc quoque, Magne, tuis certa incrementa tropæis
Ecce duos Juvenes, dubii fulcimina mundi,
Si dabitur ſupereſſe. tibi cognatus uterque,
Nomen uterque tuum referens. Rex alter: at alter
Innumeram ſeriem per nobilitatis avitæ
Regius auguſta cenſetur origine ſanguis.
His ego ſpes, Cytherea, meas meaque omnia dextris
Credere non dubitem; modo Juppiter annuat omen.
Plura locuturum complexibus alligat arctis,
Et limo blandita oculo, lætumque renidens,
Flexanima alternis interſerit oſcula dictis.
Miles, habe tua geſta tibi; differque cruentas,
Si ſapis, hiſtorias. Mora nulla fugacibus horis.
Iſte meus, meus iſte dies. cras arma crepemus:
Utendum nunc luce data. non mœnia flammis,
Deletas non ferro acies ut lenta docerer,
Longum iter è patria Cynoſurida comminus urſam,
Et nive canentes properavi viſere ſaltus.
Tu mihi cauſſa, viæ tu dignus & unicus auctor.
Funera tot Bellona magis tibi cruda referri
Gaudeat. eïa alias huc (nam potes) incipe pugnas,

Qux

UVA. BHSC. BU 06120

Quæ me teque juvent. Quid emendæ ſanguine palmæ
Semper in ore tibi? ſua ſunt & Amoribus arma:
Sunt æquanda tuis. neu me, fortiſſime Divûm,
Imbellem timidamve putes; en mille pharêtræ
Æra merent; nutuſque meos, mea vota ſequuntur.
Hæc age caſtra ſubi, non nunc tibi cognita primum;
Vel confer tua ſigna meis, niſi cedere mavis.
Interea hos Juvenes, dubii fulcimina mundi
Certa, (nec inficior) Famam qui laude fatigant
Miranteſque Deos, pro te capere arma jubeto,
Exemplo vel amare tuo. Certe alter in ignes
Se dignos jam totus abit, quem fata peremto
Hæredem Magno ſucceſſoremque dederunt.
Illum adeò, quem nec congreſſus Cæſar ovantem,
Subdola nec ſolitis fraudavit Iberia palmis,
Lumine virgineo domitum roſeiſque coërcet
Eleonora genis: & de victore triumphat.
Nam modo, dum via grata rotas mihi ducit ad Arcton,
Militiæ puer ille ferox fiducia noſtræ,
Spicula quem procul (ecce) vides tibi certa minantem,
Magnanimum rapida tranſegit arundine pectus.
Fratribus alter adhuc ſed reſtat adorea, Mavors,
Debita Cyprigenis, cui vota potiſſima fundis.
Flos tener ipſe quidem, ni virtus plenior annis
Penſaret firmique moram præverteret ævi.
Jam faxo mihi ſudet & hic. Quid tela morantur?
Huc pharetræque arcuſque, huc omnes tendite tædæ.
Ite, meum volucres pueri decus: ocius ite.
Nubilis eſt, formaque tibi ceſſura nec ipſi,
Eleonora, ſoror. pulchram ardeat ille ſororem.
Ardeat. urentem ſed & urat amoribus æquis.
Ter quater ah, Virgo, nimiumque hoc vulnere felix,
Invideo mea dona tibi. quot uterque feretis
Gaudia, quot dabitis! quæ qui numerarit, & idem
Tranentur quanta numeraverit alite nubes;
Vel juga melliferis quot Hymettia floribus halent;

Tunc

UVA. BHSC. BU 06120

Tum fluctus quos æquor agat, quid volvat arenæ.
Dic, thalami quid inire times consortia tanti?
Cur magno jungi renuis, formosa, marito?
Quem non mortali ingenio, quem mille politum
Artibus, & dio Musas Helicone foventem,
Cunctaque Thymbræo similem Tritonia nutrix
Sæpe refert, sæpe ante alios mihi jactat alumnos.
Nec quisquam Aönia vatum testudine pugnet
Huic se ferre parem. conspirat docta vetustas
Pectore in hoc: sibi Roma Ducem, sibi vindicat Hellas.
Quis lepor, artifici quam robur amabile linguæ!
In vultu quam lætus honos! quæ gratia morum,
Torvaque se facili miscens gravitate venustas!
Fallor? an ille meus formarum gloria quondam
Talis Adonis erat, post te mihi maximus ardor?
Lumina sic, sic osque tulit, frontemque, genasque,
Cæsariemque, & membra Deûm certantia membris?
Thessalis hunc spreto sequeretur Apolline Daphne.
Pro Baccho Dictæa suo Minôis amaret.
Iäsiôna Ceres, Cephalum Tithonia credat.
Endymionêas huic cedat Cynthia noctes.
O vigor! ô facies! modo ne tibi fila columque
Invida præcipitet, rerum pulcherrime, Clotho;
Sufficiat modo vita diu par rebus agendis;
Tu Gustavus eris. Quibus impiger ibis in hostem
Auspiciis! qualesque virûm mactabis acervos!
I, sequere hortantes in fata domestica Divos;
Et totum te crede tibi. vocat ardua dudum
Fama; viasque tuæ jam stravit in æthera laudi.
Sic quoque noster ama. præludia fortibus actis,
Primitiasque tui, libaminaque hæc mihi debes.
Quo rapior? curabit Hymen, ne cætera desint.
At nobis, Gradive, diem lususque, jocique,
Osculaque absolvant, & quicquid amantibus aptum est.
Dixerat. armipotens placidum pater annuit olli,
Luctatamque nihil gaudentibus implicat ulnis

Fusus

UVA. BHSC. BU 06120

Fusus humi. procul arma deo, procul ira tumorque.
Gramine vestitus nam forte cubilia cespes,
Et viridem virgulta dabant umbrosa recessum.
At parte ex alia voto pharetrata peracto
Plebs reditus urgere suos, raptâque relictam
Ad matrem properare viâ. trahit insçius heros
Corda repentinos per non prius usta calores;
Et, quam vix spectarat, amat. mens tota Sibyllæ
Hæret in obtuitu. solam loquiturque remotus,
Et videt. attonitos hac ludit imagine sensus:
Hac gravat. exsangues lacerant præcordia curæ.
Sidereo fugit ore color, fugit illa serenæ
Frontis honos, par, Phœbe, tibi: qui nuper amantes
Hinc Batavas, hinc Sequanicas matresque nurusque,
Ausoniumque satas Thybrim prope Naïdas ussit,
Nec Nymphis modicos popularibus addidit æstus.
Sollicito nocturna quies è corde fugatur,
Et stratis positos aut ægre adrepit in artus,
Stertenti aut dominam sopor ingerit. ominis odit
Ille quidem errorem; gratus tamen ominis error.
Somniaque invitam capiunt, licet irrita, mentem.
Sæpe toro vigilem se proripit. omnis in una
Flammarum medicina lyra est; quam pollice docto
Temperat usque movens: querulos cui credit amores
Plurimus, & notis solamen ab artibus haurit,
Nunc hæc, his etiam nunc flebiliora sonando.
Igne Lycaonias imitantia lumina stellas
Semper inocciduo, quæ pectus aduritis ægrum,
Tostaque consumtis depascitis ossa medullis:
Effetis vel blanda minus, vel mitia certe
Optarem, diroque magis pacata furori.
Corde faces procul ite meo, procul ite, cruentæ.
Me miserum! quod ab hoste mali speranda medela est,
Si speranda tamen: quod tollere vulneris auctor
Sola potest vulnus: quod vix dolor alte dolori es:
Viscera tormentum quod amabile saucia carpit.

UVA. BHSC. BU 06120

Illicis ô plagæ fera gaudia ! dulce venenum !
Tela quid in media mihi perfida pace nocetis ?
Nec dominæ prodeſt abſentia : ſævit & abſens.
Eminus uror ïo ! crudeles parcite tandem,
Parcite crudeles hoc lædere pectus ocelli.
Formarum non mite decus, dic, unica virgo,
Quid fugis inſequeriſque ? quid omnibus obvia ſomnis
Te mihi concilias, ut conciliata negeris ?
Deliciis nox me perfundit candida quantis !
Ore meo cur oſque tuum, cur colla, ſinumque,
Brachiaque adſtringo cupidis conceſſa lacertis ?
Cur his æqua refers mihi blandimenta viciſſim,
Si non & vigilo feliciter ? annue, quæſo,
Annue : divelli nec enim datur. ipſa ſecundos
Nox canit eventus, verax in amoribus augur.
Somnia numen habent : & nox præſaga futuri,
Si neſcis, certa dubium ſpe firmat amantem.
Ipſe fovet mea vota Deus, morboque negatam
Ferre laborat opem. crudeles parcite tandem,
Parcite crudeles hoc lædere pectus ocelli.
Phœbe, Cupidineos averte ſagittifer arcus.
Phœbe, juva. nam poſſe docet te Fama mederi.
Si tua rite colo ſacraria ; laurea fronti
Conveniunt ſi ſerta piæ ; tripodumque repoſtas
Mittor in ambages, & me tibi Cyrrha dicavit.
Heu, pater, ille ego myſta tuus, tuus ille ſacerdos
Præda Cytheriaco trahor invidioſa triumpho.
Non Aganippææ mihi grata ſilentia ſilvæ,
Non toties pleno potati gutture fontes
Ardorem potuere feræ reſtinguere flammæ.
Aura licet gelidum ſemper nemus, aura liquores
Mobilis æterno ſtagnantes frigore adurat.
Uranie, quâ cretus Hymen genetrice ſuperbit,
Audiat hos proles gemitus tua ; mitis amantum
Fletibus ille puer. crudeles parcite tandem,
Parcite crudeles hoc lædere pectus ocelli.

Talia

UVA. BHSC. BU 06120

Talia cantabat; talique miſerrima queſtu
Vulnera mulcebat, fixoſque in corde dolores.
Vota Deos tangunt. procul audiit alma vocantem
Uranie, Phœbuſque, & Hymen pia cura duobus.
Urget Hymen thalamos. Jamque & manſueſcere virgo,
Jura dari domitæ jam parciùs aſpera menti.
Geſtit amatoris jam lumine tota probari.
Culta ſtudet magis uſque coli, formamque novatis
Paſcere munditiis. ſpeculi cenſura ſeveri
Aſſidue repetita placet, vultumque moratur.
Jamque ſuos damnat, jam devovet ipſa rigores.
Sæpe datura manum, nunc exorata videri.
Virginitas cœptum tamen interpellat amorem,
Et deſideriis obnititur. inde pudoris,
Non minor hinc ſancti dubiam reverentia patris,
Tum maturandos genetrix hortata nepotes,
Præſidiumque domûs, & idonea tæda juventæ
Impellunt, dignuſque toro ſuper omnia conjux.
Inſtandum, Guſtave. Leæ non illa Libyſſæ
Fœtus: Achæmeniæ nec tigridis ubera duxit.
Ingenuas ſed comem animum limata per artes,
Et formæ mores ſuperaddita; nectare largo
Prodiga quos Pitho ſaturavit, prodiga Pallas.
Præſcia fatidicæ nec Delius ora Sibyllæ
Euboïcis olim præſentior egit in antris.
Dumque deus fatale ſonat teſtudine nomen,
Dilectum aſſidua dum nomen voce frequentat;
Piëriam juga reſpondent Pimplæa Sibyllam;
Nec juſſæ jam ſponte fides, jam ſaxa loquuntur.
Digna cani ſed & ipſa canit, chorus arbiter artis
Quod ſtupeant, Clariæque negent ſe poſſe ſorores.
Aſperitas ſtudiis his exſulat. indole miti
Quin prohibes, placidiſque fugas à moribus omnem
Sævitiam? jam diſce viro, pulcherrima, jungi.
Diſce capi. neu forma ſibi tam blanda repugnet,
Votaque ne votis maleſana ſalubribus obſtent,

UVA. BHSC. BU 06120

Conſule te ; monitorque animus quid ſuadeat audi:
Quid virtus operoſa Ducis, quid tanta propago.
Prævaluit bona cauſſa. toros properate jugales,
Et thalamum pictis amicite tapetibus omnem,
Cimbrides, egregium formâ genus. addite celſis
Cimbrides auratos Nymphæ laquearibus ignes;
Et croceis feſtas adſpergite floribus ædes.
Promite, virgineam quæ velent flammea frontem,
Cimbrides; & timido ſolatia ferte pudori.
Tuque adeo, victrix rerum cui Roma ſubacta eſt;
Europen late atque Aſiam qui belliger olim
Fregiſti populatus, & in tua jura vocaſti;
Vandale, ſanguis ades Mavortius. otia ferro
Dux jubet alta dari: dum vota prementia noctem,
Exoſoſque moram fax pronuba ſedet amores:
Æquatura patrem thalamus dum pignora præſtet,
Quotque duces, invicte, tibi, tot Marte triumphos.
Nox oritur. thalami, cantatrix Muſa, beati
Ne clauſas irrumpe fores ſtudioſa videndi.
Et ſine te quod agatur erit. ſpectacula reſtant
Virgineis nec tuta genis, nec egentia caſti
Luminis arbitrio. decimæ poſt cornua Phœbes
Orta revertendum. citharæ, dea, parce loquaci:
Neu fias odioſa, modum ſibi carmina ponant.
Interea (nam Lucinam comitabere) plectrum,
Quo cunas venerêre, para, matremque ſalutes.
Nunc ſibi linque duos; nec inutilis obſtrepe lecto.
Plura lyræ mandare vetor. ſecreta Diones
Non homini, Aöniis non ſunt temeranda deabus.
Teſtis Acidaliæ ſalve Latonia luctæ;
Nox, ſalve: ſed quam victuris ipſe loquatur
Cantibus, & doceat ſeros reſonare nepotes.

SCA-

UVA. BHSC. BU 06120

SCAZON IN ALASTOREM.

PROLOGUS.

Numinibus Clariis invisum pectus, Alastor,
En tibi, sed meritis dona minora tuis.
Nomen adhuc premitur, diroque pepercimus hosti;
Jure nec ira fuit nobilis usa suo.
Si perstas latrare, nihil simulabitur ultra:
Nomine nec ficto conveniere mihi.

SCAZON.

SCazon cruente, si quid ignei fellis
Spirat relictum pectore in lacessito,
Nec vividæ ardor mentis ille decoxit;
Da, da severæ vela plena vindictæ,
Crudoque morsu pectus occupa obscænum,
Ferale pectus, quod Megæra, quod nutrix
Scelerum feraci fovit ubere Alecto;
Erisque munerata plurimo pomo est.
Quod dira Enyo vix bene editum in lucem
Contentionum tabe luridâ adflavit,
Spissoque adactum ingessit osculo virus,
Letale virus, quod perurat & ferrum;
Quod vix novercis, vix veneficis notum
Fert pestilenti tæter amne Cocytus;
Quod ore ructas, Cerbere, ex Echidnæo:
Quod Caucasi nec rupibus Promethêi
Striges ahena falce subsecant Thressæ:
Quod nec Cytæi terra Colchis Æetæ,
Pharsalico nec gignit Atracis campo;
Tractura Phœben Atracis reluctantem,
Cœloque deductura fulmen invito.
Porro, Batavi! nempe inane libertas
Nomen fugatur, juris haud sumus nostri.

UVA. BHSC. BU 06120

Aut, ſi ſumus, precario ſumus tantùm.
Regnum tyranno præda ceſſit externo,
Regnum occupatum eſt. vapulamus, ut ſervi;
Tergumque loris defricamur ignavum.
Et jure, quos non perpeti hanc pudet labem.
Habet, peractum eſt. quin inutiles bello
Ceſſant querelæ? nil agetur his armis.
Male feriatus ut capiſtra nolenti
Obtrudat hoſpes, liberæque cervici
Fæx advenarum, fæx ſoli peregrini
Inſultet atrox? nec licentiam hanc virgis
Sufflaminemus? ſat ſuperque peccatum eſt
Impunitate. tempus ecce, jam tempus,
Ut calcitranti terga belluæ flagris
Demulceantur. nam quiete quid prodeſt,
Quid pace mentis otioque lætari
Muſis ſacrato? ſi benignitas victa eſt;
Si lenitati tot calumniis tandem
Exaſperatæ, nec ferenda perpeſſæ,
Ceſſere clauſtra; ſi repagulum amotum eſt.
En arma poſcor, poſcor arma: pugnemus.
Quid, primipile vitilitigatorum,
Quid, fax furentis claſſicumque Bellonæ,
Natumque alendis ſuſcitabulum rixis,
Quid, Threx nefande, quid nefande mirmillo,
Paci ſtudentis accolam pium Cyrrhæ,
Et jurgioſa lite pectus averſum
Luctæ in palæſtram concitas inaſſuetæ,
Opprobriiſque turbulentus inceſſis?
Hæc ſemper audienda nil reponenti?
Non comprimemus huic caniculæ rictum?
Gratiſne, Alaſtor, ut protervia hæc conſtet?
Vimne hanc, inepte, credis uſque laturos?
Nil te Lycambæ Bupalique funeſta
Movere fata? nil poëticæ bilis
Impune nulli provocata tempeſtas?

Lucem

UVA. BHSC. BU 06120

Lucem Heinſianæ cur, tenebrio, laudis,
Cur Famæ amicum ferre non potes nomen?
Injurioſo Marte prorſus oppreſſos
Ergo putaſti? jam recolligo vires.
Saltem induenda ad arma tempus indulge.

Quodcunque ſævum, aut efferum, aut inhumanum
Parnaſſus audet, Muſa, fac acervetur.
Tela experire vel coacta quid præſtent.
Quin tangis omni dente ferreum pectus?
Quin belluino te cruore reſpergis?
Alaſtori quin Muſa Alaſtor incumbis?

Non ſidus æquum, non benigna naſcenti
Adfulſit Eos, aut ſerenior Titan;
Sed lux nefaſta, ſed choro Camœnarum
Infenſus Arcas, cumque Marte Saturnus
Inauſpicatis obtulere ſe cunis;
Lunaticiſque præſidens ſoror Phœbi,
Et atra aduſtam bile percitis mentem.
Vix vagienti voce jam ſalutarat
Vitale lumen; ecce, crine nodato
Hydrarum acervis & venena ſtillanti
Cinxêre dirum Erinnyes penetrale,
Erinnyes fovere perfidum pectus.
Paſſim colûbras cerneres adulantes
Infanti alumno, perque membra ferventes.
Tædâ expiavit Eumenis ſepulcrali,
Et ſulphure in Cocytiis ſato ripis
Ferale limen, vaſque prætulit plenum
Luſtralis undæ de palude Lethæa.
Mille implicatum nexibuſque nodiſque,
Pullique fuſum nevit Atropos fili.
Fugêre Honeſtas & Modeſtia & Candor:
Fugit Deorum quicquid eſt ſupernorum,
Primuſque Pæan. ille maxime averſus
Febriculoſi contubernio vatis,
Et ſe negare certus irritis votis,

UVA. BHSC. BV 06120

Quamquam invocatus uſque ſupplici ad ravim.
Fugit cerêbro quæ puerpero patris
Prognata virgo eſt, & Thalia, & Euterpe,
Et ter duabus cum ſororibus Clio.
Titan ſecundus jam removerat primum.
Non fracta ferri verba, non ſoni blæſi,
Infanſque ſermo blandiente cum riſu;
Innoxiæ ceu perpes uſus ætati eſt:
Convitiorum ſed venefico adflatu
In obvios ſævire lingua latratrix,
Et virulento tangere halitu inſontes.
Procax cavillis jurgiiſque graſſari
Inter cöævos. nulla pax feræ menti.
Ut hauriendis par ſcientiis pectus
Capaxque viſum; ſtravit aream pugnæ,
Et moliendas quicquid utile ad rixas
Magiſtra alumno mox Megæra ſuggeſſit.
Hanc iſte peſtem litterario primus
Invexit orbi; certus atque juratus
Quietis hoſtis, omniumque, quîſcumque
Pulchræ excitantur corda amore virtutis.
Non mitigandus vel ſilentio illatam
Vim concoquenti, ſed magis ferocire,
Quo mitiuſque blandiuſque palpetur.
Non dexteræ ulla ſyngraphiſve ſubſcriptis
Fides habenda, vel dato ſacramento.
Effrenis, exlex, contumax, gravis cuique,
Cuicumque iniquus, unice tamen pronus
Turbæ tueri lucra fœneratricis,
Patronus hiſce quam clientibus dignus!
Ut faſtuoſus, qua ſuperbia inſultat
Dudum ſepultis! ut tyrannidem exercet
Hic carnifex in buſta! quippe de vivis
Magis ferendum eſt, & libenter ignoſco.
Pyras oberrat uſque, inhæret uſtrinis,
Famelicâque rodit oſſa gingivâ,

Cada-

UVA. BHSC. BU 06120

Cadaverosis quæ trahit sepulcretis,
Bubonis instar, aut strigis venenatæ
Cum saga versipellis induit formam,
Tortor carentum luce, Erinnys umbrarum.
Tropæa larvis ex inermibus captat,
Et semper atrox cum silentibus pugna est.
Ceu trux Orestа, aut mente captus Alcmæon,
Ultrice tædâ cum minatur Alecto;
Diras lacessunt, nec minus tremunt Diras.
Tum puniendis quam severus in noxis
Hic Æaci successor, hic novus Minos!
Ut vindicandis in piaculis totus!
Non ferre lapsum, maximusque commissi
Erroris hostis, ipse plenus errorum,
Plenus pudendæ labis, haud recordatur
Hac lege natos, quotquot aureum Phœbi
Os intuemur; posse quemlibet falli.
Infirmitatis nævus error humanæ est,
Natura in omnes quem noverca disperſit.
Labi necesse est. sublevare labentem,
Et alteri indulgere, quod tibi indulges,
Id nosse demum temet, id bonæ mentis.
Brutum ac ferinum est, vellicando prostratos
Casum adgravare. quod nec audeant tigres,
Leæna silvis nec Libyssa Gætulis.
At in jacentes sævit oris obscæni
Mordax Lycaon, & Lycaonis proles:
Vel pectoris quæcumque bellua abjecti
Immanitate fœdo Alastori par est.
Quicquid cruentum, Alastor, unus exhauris.
Ut impudenter, ut parum verecunde,
Modestiæque prorsus omnis oblitus
Obgannit atque oppedit optimo cuivis!
Nam cui pepercit? quem reliquit intactum?
Quem lingua non invasit hæc cavillatrix?
Virgis fricandus Scaliger, quia indoctus:

UVA. BHSC. BU 06120

Turnebus infans: nil videt Casaubonus:
Nil Lipsiusque Grotiusque nostrates.
Ineptiuntque sæpe, sæpe nugantur.
Non litteratos jam superstites tango,
Non tot minorum tango gentium heroës,
Quorum catervas ac manipulos uno
Prosternit ictu, quique vapulant passim
Huic verberoni; quos Thrasonicus solo
Flatu agminatim dissipat triumphator.
Sed urit illum maxime, urit in primis,
Somnosque rumpit, ac quietis expertem
Exercet animum, nubilosque præstringit
Fulgore sensus laudis Heinsiæ lumen.
Laus Heinsiana rodit usque rodentem,
Emaceratque exestque lividum pectus.
Hæc laus molesta est: hæc sacerrimam mentem
Insaniæ redegit ultimæ ad metas.
Hanc execratur angue pejus, hanc odit,
Premitque diris; hanc adortus incassum
Convitiator, nec suo levi damno.
Hac cum perire laude non recusarit.
Rerum imperitus, ac ineptus, ac excors
Huic Heinsius censetur, Heinsius blennus:
Si bilis intumescit, Heinsius musca,
Minorque nano est, pumilusque Pygmæus,
Fraterculo huic Mimantis, huic Aloïdæ;
Quod arma non convertit ejus exemplo
Deorum in agmen & palatium cœli.

Age, litterarum, dic, facete Dictator,
Suffragiisque facte, sed tuis, Censor,
Scientiarum, dic, chaos tenebrosum,
Unde hos tumores? unde pectus inflatum,
Æsopicaque non modestius rana?
Superfluæne tot voluminum sordes,
Lanæ caprinæ promiconda farrago,
Quod nugivendis in minutiis hærent?

Ori-

UVA. BHSC. BU 06120

Origines quod charta nulla verborum
Non aucupatur, & vocabula exoſſat,
Terentianus ille ceu Dromo congros?
Spatio explicandæ quod patente membranæ
Diſcurſor erras, ſemitæ ac tui oblitus;
Ut tactus œſtro bos vagatur, aut quondam
Rectore ſonipes deviator excuſſo:
Vel qualis Hæmi terga per ſalebroſi,
Adacta thyrſo, Baccha fertur Edonis;
Mentis vel impos parricida cum indagat
Athamas Learcho jam Palæmonem abſumto,
In fata gnati nil merentis armatus.
Pingui Minerva quodque paginæ truncum
Vixdum dolatæ luce publica donas,
Famæ arbitræque judiciſque ſecurus.
Quod paſſim arenam ſcripta calcis expertem,
Ac diſſolutas cum mapalibus ſcopas
Ignara legis & decoris oſtentant.
Hinc pulchriorem Nireo atque Narciſſo
Ardente ſemet tu tibi affricas formam?
Pueroque Phœbi amoribus Therapnæo,
Cui diſci eburnam turbo perculit frontem?
Arabiſne Smyrnæ te propagini hinc præfers,
Quem dente aprino Cypris ingemit raptum?
Vel Argonautam qui ſecutus Alciden
Fontana Nymphis præda ceſſit externis?
Hinc te uniceque perditeque miraris?
Ac artifex ſi penicillus ad vivum
Liquido examuſſim te colore duxiſſet
In his cacatis, hiſce putidis chartis?
Hinc quot fuere ſuntque eruntque ſcriptores
Præ te eſſe fungos reris, eſſe Therſitas?
Si nil docebat, cura terſa quid poſſet,
Araneæ concinna tela textricis,
Sexangulâque mel reconditum cerâ,
Nil providæ ſtructura ſcita formicæ;

Non-

UVA. BHSC. BU 06120

Nonne hirta prolem fingit urſa lambendo?
Æquantis ut te belluæ indolem admittas,
Exempla quando deſpicatus humana
Rivi natatum limpidi fugis, bufo
Cavernicultor, & nitore projecto
Inter cloacas ſpurca ſus volutaris.
Digreſſionum quod retorrido ſaltu
Sentiſque dumis hiſpidoque vepreto,
Quod ſeptuoſo ſcriptionis amfractu
Obtundis ægros enecaſque lectores,
Bilemque concitante nauſeâ torques:
Greſſum regentis magnus artifex fili
Actæus unde nec recurrat Ægides.
En OEdipo intellecta Suada vix ſoli,
Sphinx hujus ævi temporumque ſerorum,
Abſtruſa cujus ſenſa, ut efferos mores,
Felicitate ſcriptor exprimis mirâ.
Sic ripa Lydi flexuoſa Mæandri
Involvit agros anguiformibus ſpiris.
Sic Dædalêi fraude Creſiâ tecti
Dat trames orbem circinator implexum,
In ſe redactus non ſolubili ambage.
Venator Umber ſic per horridas rupes
Cum jam excitavit è cubilibus cervum,
In teſqua cogit impedita virgulto,
Aut ſubdolos in caſſis abditi nodos,
Ne ſit fugaci liber exitus prædæ.
Exſibilatrix hincne lingua, nariſque
Rugoſa ſanna, delicatule ô noſter?
Tuæ ipſe vocis ruminator atque Echo
Cramben recoctam millies quod apponis,
Eademque iiſdem dicta glutinas dictis
Indeſinenter, ceu cuculus adſuevit:
Unda æſtuoſi ceu reciproca Euripi,
Vel ſerra ductus quæ ſuos remetitur.
Quod fœtido Ennî pure collinis chartam,

Vomi-

UVA. BHSC. BU 06120

Vomicâque Nævî; tamquam jaſpide Eoâ,
Aut abs ſmaragdo mutueris ornatum,
Indæque comtus ſtes monilibus baccæ.
Oratione quod diſertus incedis
Caſcâ, obſoletâ, ac ante Romulum natâ,
Vix Arcadis quam cana mater Evandri,
Vix litterator adſequatur ex Oſcis;
Qua Janus, & Saturnus exſulans cœlo,
Et Faunus, & Picumnus orſa ſignabant;
Haruſpicinæ quam repertor Etruſcæ,
Aborigineſque, gens coæva Trojanis,
Jam tum abrogatam maluere neſciri.
Hinc flatulentus arrogantiæ turbo
E folle ſpirat oris uſque ventoſi,
Eque æmulatâ regiam Æoli buccâ,
Utreſve, turba quos Ulyſſei remex
Solvere vinctos curioſa plus æquo?
Diſtentus hinc inanitate ſic turges?
Opicæ vorago cruda, dic, vetuſtatis.
Non tinnulo ſic Iſis inſtrepit ſiſtro,
Cum laſſa veſtigando Oſirin invênit;
Nec plus Machaon geſtiebat, ut tætrum
Abegit ulcus crure de Philoctetæ,
Cujus decennes Lemnos hauſerat planctus;
Proles medentis Æſculapius Phœbi
Haud lætus æque eſt, fraude cum novercali
Sparſum per agros Virbium recollegit,
Plutonioque ſuſcitavit è regno
Cœtus Deorum cœlites adaucturum;
Ac noſter iſte quadrupes ſibi Chiron
Plaudit favetque, ſi qua litteræ unius
Diſtorta membra caſu in ordinem cogit;
Aut fortuitâ ſi redonat uſurâ
Vitalis auræ ſyllabarium funus:
Crœſi tiaras, affluentiam Cyri
Rebus ſecundis arbitratus anteiſſe,

Atque

UVA. BHSC. BU 06120

Atque Herculanæ clara facta virtutis;
Per monſtra tot necata, totque ſucceſſus
Junonis iram qui domabat infenſæ.
Tantâ apparatus hos ſuperbiâ jactat
Fumum aucupantis venditator ærumnæ,
Tantâque mole cœpta caſſa fruſtratur.
Quod continenter litterario in cœno
Nocturne ſudas & diurne contritor
Gloſſariorum, deque lexicis totus:
Auritus olim vector ille Sileni
Ad ſaxa ſeſe ceu molaria exercet,
Frugique Davus, magna fama piſtrinis.
Quod pulvis iſte, non Laconis Eurotæ
Olympiuſve, ſed ſcholaſticus pulvis
Obfuſcat ora umbratici palæſtritæ:
Idne addit-hanc fiduciam invidæ menti?
Faſtidioſus hinc ſupercilî ſqualor,
Curruſque, ſemper quos crepas, triumphales?
Hinc vel priorem ferre vel parem neſcis?
Hinc, Orbili plagoſe, in obvium gaudes
Vibrare quemvis pædagogicos cæſtus?
Ut ille Bebryx, cujus oſſibus quondam
Informe limen albicabat humanis.
Convitiis hinc præliaris è plauſtro?
Vivoſque mortuoſque creber exceptas
Rure inficeto rancidoque dictorum?
Foſſoris inſtar, cui ſalis ſubagreſtem
Urbana linguam mica nulla conſpergit.
Læſtrygonum de plebe deque Cyclopum
Ne litigator ullus auferat palmam
Inhoſpitalis laude barbarâ rixæ,
Atque invenuſto vocis aſperæ horrore:
Frigus Decembris quam nec æquet Arctoi,
Nec præ Decembre ſi quid horridum Arctoo eſt.
Genium cyniſci cenſeas Sinopæi,
Timona miſanthropon aut revixiſſe.

Tan-

UVA. BHSC. BU 06120

Tantum efferatâ fauce virus erumpit.
Hæc ob patrata, remque prosperè ob gestam,
Quod dîs, Alastor, te simillimum reris,
Temploque, & aris, supplicique præfatu,
Densâque acerrâ flagitas honorari:
Monstri feracem multiformis Ægypton,
Anubidasque pro Deis adorantem,
Baubator importune, suadeo accedas.
Proserpinæ vel janitor forem observa,
Vicariasque Cerbero subi partes,
Umbras screatu territurus insano,
Si morsicare poscis haud remorsuros.
Vertare in omnem forte Protei ut formam,
Nobis Batâvis (ne quid insuper pecces
Nos nesciendo) labra sublines nusquam:
Nec, te ut tremamus, es daturus effectum.
Portenta qui canina, more majorum,
Piacularis fasce februo virgæ
Scuticæque habenâ taureæ procuramus.
Rem, ne quid erres, en negotii haud multi,
Nec permolesti, sed facillimi factu.
Te, Corsicane, testor & tuum tergus,
Comitia hæc nunc curiata cui fervent:
Ni vapulanti forte nil tibi credis,
Crebroque callum fuste terga duxerunt.
Tanti est, Alastor, esse liberâ in terrâ
E liberoque nos parente prognatos.
Lege istâ & istoc omine ut libet latam
Nos involandi proroga potestatem.
Tibi litterarum ut vindicare censuram,
Homuncio ausis, vix pedaneo adscitus
Nuper senatu? tolle, tolle personam,
Insulse caprimulge: tolle personam.
Quod ni amovebis, detrahetur invito.
Scientiarum publica omnium palma est,
Molosse Alastor, quæ merentibus cedat:

Eden-

UVA. BHSC. BU 06120

Edentulo non comparanda latratu,
Mendaciiſve vel calumniæ incurſu:
Sed mente diâ, mente lucidâ, intactâ
Livoris œſtro, impervia tuæ nocti.
Fruſtra laboras &, miſer, fatigaris
Famæ in Charybdi, ſaxa naufraga amplexus.
Non negligentis oſcitantiâ curæ,
Non obtinetur mole fama chartarum.
Extemporales ſæcla non ferunt nugæ,
Non bis leguntur. ſi cupis diurnare,
Limâ lucernæ perpoli Cleanthêæ
Scabram papyrum levigator exſomnis,
Raſorque pernox. hæc agenda victuro:
Hæc cogitanda. ſæculo ſat impoſtum,
Sat frivolorum eſt. ſcribe, ſcribe, quæ durent.
Quid è latêbris, è cuniculis ſemper,
Subſeſſor, ictu nos petis repentino?
Nunc tempus en pugnare, congredi tempus.
Nunc Muſa Muſæ utrimque certet alternæ.
Muſam experire: fac periculum Muſæ.
Cur, cum loquace ſis loquacior pica,
Mutire differs? cur calumniæ, quæſo,
Sophiſticæque ſycophantiæ hic ceſſant?
Cur tela non moliris huc retundenda,
Deſultor hoſtis, noctuine luctator?
Formidoloſa mitte furta bellorum:
Phœboque teſti crede Martis eventum.
Ut geſtio videre morbidam Muſam,
Lumboſque fractam, ac tabidam, ac abortivam,
Cuniſque in ipſis pæne mortuam Muſam!
Hác me fugari poſſe quid vetat Muſa?
Latöus ipſe cujus abſono cantu
Avertit axem, ceu dape à Thyeſtêa.
Hæc nunc, Alaſtor; quæ per Aonas ſaltus
Sævo duello mitis ira prælusit.
Necdum calemus. mox, ut auguror, rurſum,

Sed

UVA. BHSC. BU 06120

Sed crudiore res gerenda conflictu.
Nam si libido, sicut hactenus, fœdam
Calumniandi non reliquerit mentem,
At hunc fricando sublevare pruritum
Nobis licebit. morbus exigit curam.
Desiste, Scazon: sat superque Dirarum est.
Pax ambiatur: nil salutis in bello.
Tentemus hostem flectere inscium flecti,
Actumque agamus, si qua spes tamen paci.
Jam parce, Alastor, parce. supplicem en dextram;
Pacem obtinere fas sit: odimus bellum.
Vel si impetrari non datur, quod oramus;
Rixis tropæa dividantur amotis.
Colles opacos & vireta Permessi,
Quîs Flora semper, quîs Favonius ridet,
Devota Momo quîs Alastorum plebes
Longeque habetur & vetatur admitti,
Concede nobis. Prisciane tu noster,
Tu grammatistæ dux cohortis atque alpha;
Vocabulisque syllabisque dic leges
Multum tremendas, inque lexicis regna.
Horat.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

FINIS SCAZONTIS.

UVA. BHSC. BU 06120

ODE

De agro Neapolitano.

QUis me liquentum cœrula nubium
Raptim ſecantem, quiſve Deûm Notos
Nimboſque tranantem æſtuoſos
Siſtat agens laribus paternis?

O læta apricæ prata Bataviæ!
O Rheni ad undas graminei tori!
O mite Lugdunum! ô relictæ
Certus amor validuſque terræ,

Ut cor peruris! vos, comitum manus,
Heu candidorum turba ſodalium,
Quîſcum ſerenos ſæpe ſoles
Aöniæ fidis illecêbra

Duxi beatus! nunc videt exſulem
Campana Tuſco Doris ab alveo,
Myrteta luſtrantem otioſæ
Parthenopes & odora Tempe.

Sive hinc Pelaſgæ rura Dicarchidos,
Seu, quo ſepultus Tros tubicen, jugum,
Lituſque prætextum Lucrino, &
Sulphureis geniale Baiis

Calcare laſſor: ſeu ſterilem hinc locum,
Fumiſque & atro vortice torridum,
Phlegranque damnatam per ævum
Fulmineos glomerare nimbos.

UVA. BHSC. BU 06120

Qua trux trisulcum missile Juppiter
Adflati adactum visceribus soli
Contorsit in fractos gigantas,
Terrificæ monumenta pugnæ.

Sive hinc paludem specto Acherusiam,
Cunctis natandæ vestibulum Stygis,
Ripasque sub terram meantis
Nunc avibus placidas Averni.

Hinc culta Iäccho quid memorem juga,
Quid Phœbo amatam fatidico specum,
Fœtasque responsis latêbras,
Euboïcæ penetrale vatis?

Sedem hinc nefandi quid Tiberî canam?
Quid fixam in altis Inarimen vadis,
Cui membra suppostus Typhoëus?
Quid tumulum Procyten Mimantis?

Vidi & perustis horriferum jugis
Late Vesevum, nuper amabilis
Hinc terga vestitum Lyæi
Germine, Palladia hinc olivæ.

Cum volvit igneos asper anhelitus
Telluris alto Mulciber è sinu;
Ruptique concussis cavernis
Culmina diffiluere montis.

Obsessus æther sulphurei globo
Nimbi intonare. hinc saxaque cerneres,
Undamque flammamque ac vaporem
Aërias super ire turres.

UVA. BHSC. BU 06120

Mors hic per agros; hic lacrimæ & fuga.
Jamque hauſta diræ cuncta voraginis
Occurſu. at OEnotras per urbes
Attonitæ emicuere matres.

Experte ſtagnis, quid tumidum ſecas,
Heinſi, profundum? ne temerarius,
Ne crede rupturis procellis
Invalidæ tabulas phaſeli.

Dircæa non te Cecropio patri
Enixa mater: non tulit entheis
Bœotus Iſmenos fluentis
Icariæ intrepidum ruinæ.

Dum curſu arantes invia ſiderum
Non æmulando perſequitur Deas,
Dejectus ex æthra Pyreneus.
Tutus humi leviorque lapſus.

Quin plectra tentas ad Batavos redux
Olim penates. non ego cognitis
Majora de magnis locutus,
Non dubii metuendus oris.

O quæ relicto gaudia tum patri!
O gratulatis quanta ſodalibus!
Huc adde Rhenani hauriendos
Pro reditu cyathos Lyæi.

JOHAN

UVA. BHSC. BU 06120

JOHANNIS VESLINGII

Equitis, Anatomia.

MOrtale corpus, fabricam artificis Dei
Nulli æmulandam, quam ſatam vili è luto
Imaginis formavit ad legem ſuæ
In ſe ruentis rector æternus poli;
Sacrariumque conditor legit ſibi,
In quo colatur, ipſe quod ſtructum colat:
Opus ſtupendum, cœlitis flammæ capax,
Sed diſſipandum, ſed reverſurum ilico
Terræ in parentis, unde profluxit, ſinum,
Specta Juventus, noſſe quæ quid ſis voles,
Vel quid futura. Si quis herbarum ſciens,
Curæque morbis utili incumbens ſtudes,
Hæc intuere. quod vides, homines ſumus:
Fragiles, caduci, quoſque momento unico
Vel parva privet muſca vitali bono.
Sed quiddam in hac compage præclari latet,
Vix adſequendum ſenſibus, captum ſupra:
Quod machinator fabricæ humanæ Deus
In nos profudit, æthere ablatum ſuo,
Suique pignus ipſius terræ dedit.
Quod unda non exſtinguat, aut ponti furor,
Non irruentum denſa telorum ſeges,
Non ſi premamur monte collapſo ſuper,
Non flamma tollat ulla, non ſummus dies.
Animam vocamus: hoſpitam exigui laris,
Diam, æviternam, luce congeſtam ignea,
Nec inquinatam ſorde mortalis luti;
Sed entheam, ſed patrio adfixam polo;
Brutiſque quæ ſecernat humanum genus,
Nec expolito præditis ſenſu feris.
Illam per artus ſparſit incluſam Deus,

UVA. BHSC. BU 06120

Quo possideret creditæ regnum domus,
Atque excubaret. qualis in castris vigil,
Semper tuendo provide intentus loco,
Ne quid minetur hostis adsultor doli.
At corpus ecce. nulla pars caussis vacat,
Pars nulla motu, nulla fomento ætheris.
Ratio altiorem fabricæ insedit locum,
Et ille summus ingenî humani vigor;
Ut patrio vicinus hæreret lari,
Natalibusque mox relustrandis sibi.
Hinc cor trahendæ originem vitæ vides,
Hinc officinam sanguinis cernis jecur.
Guttur remittit organi in morem sonos,
Admittit auris. lumen adspectum capit;
Follisque respiratibus pulmo datus,
Qui se ore partim, nare se partim exigant.
Quid exta, musculosque, & omentum feram?
Tensos quid hinc atque inde nervorum sinus?
Quid ossium compagem & abstrusas specus?
Per quos meatus occupet venas cruor?
Finemne ponat lassus errando sibi,
An circulator sanguinem motus trahat?
Vertigo qualis non quiescentis poli
In se relapsa. qualis Euripi liquor,
Vel flexuosus arva Mæandros secans,
Se semper urget, semper urgetur sibi.
Quid orbita, dic, Musa defectis tua?
Disquirat augur ista Delphorum Deus,
Vesingiusque, pæne par nomen Deo
Delphos colenti, sive facundo sono,
Sive artis usu: certaque ægrorum salus,
Ac invidendus Gratiis ipsis lepor,
Suadæque nectar. cujus excelsum decus
(Cum prædicari voce sat digna haud queat)
Silentio laudandum, ut in sacris solet.

CASSIA-

UVA. BHSC. BU 06120

CASSIANI PUTEANI

Viri incomparabilis è vivis sublati exsequiæ. Ad Tiberim.

REx Italorum Tusce fluminum Thybri,
Cujus sonantem creber ales ad ripam
Late audiendos fundit orè concentus,
Rerum potente radis alveo Romam
Dum sepricollem, sedis hospes æternæ:
Nunc ejulatu, nunc canore funesto
Censendo Thybri, præficisque lamentis.
Mæandrum ad amnem vel Caystria in lympha
Non quale carmen ales integrat Phœbi,
Questu caduco cruda fata solatus
Suo ipse cycnus funeri parentator:
Sed quod perennet, quodque lividum dentem
Carmen fatiget & retundat ætatis,
Dio petitum de sacrario Pindi,
Majusque cana temporum senectute.
Fle, Tusce Thybri: Cassianus effertur.
Effertur ille Cassianus, ut lucem
Mortalitatis lege adactus abrupit;
Ille, ille Cassianus, ambitu in mercem
Vatiniisque Noniisque concesso,
Per quos curulis occupatur indignos,
Vir candidatus unicæ ille virtutis,
Scientiarum sospitalis adsertor,
Antiquitatis fax reconditæ nobis,
Natalium splendore proximus primis.
Fle, Tusce Thybri: Cassianus effertur.
Qui pace mentis, nectare indolis blando
Amabilique vicit Atticum comem,
Vicit Catones sanctimoniâ morum,

UVA. BHSC. BU 06120

Numaſque veteres, optimoſque Naſicas;
Varrone major, laude Tullio certans
Facundiæque & fruge plurimâ rerum.
Fle, Tuſce Thybri: Caſſianus effertur.
Benignitatis qui coagulo & miti
Nodo obſequelæ quemlibet ſibi adſtrinxit:
Cui debiturus plura multa debebam:
Qui me merendo mancipaverat totum;
Oculis duobus, luce carior gratâ.
Fle, Tuſce Thybri: Caſſianus effertur,
Cui vix dediſti, vix daturus æqualem es.

FINIS LIBRI SECUNDI
SILVARUM.

UVA. BHSC. BV 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

LIBER TERTIUS SILVARUM,

Epigrammata præsertim complexus.

AD

Virum Clarissimum

VINCENTIUM FABRICIUM.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAUS HEINSIUS D. F.

Viro Clarissimo

VINCENTIO FABRICIO,

Reipublicæ Dantiscanæ Syndico,

S. P. D.

Iu multumque circumspiciendus mihi haudquaquam fuit inter antiquioris atque integrioris notæ amicos, cujus nomine libellus hic noster, epigrammata partem potissimam complexus, inscriberetur, cujusque patrocinio pariter ac censuræ lucubratio hæc qualiscumque se permitteret. Nam & tu animo meo tantum non assiduus obversaris, tenaciterque hæres insertus, Fabrici clarissime, ex quo bonarum artium studio in celeberrima Batavæ gentis Academia adfixus, dotium studio in celeberrima Batavæ gentis Academia adfixus, dotimum præ cæteris nostram, me etiamnum puero, (lustrum septimum nunc agitur) sedulus admodum frequentabas, ac parentis mei ab ore perpetim pendebas: & jam tum poësim hanc nostram tam pulchre tamque feliciter abs te excultam subit meminisse, ut quicquid eruditæ juventutis sub illam tempestatem magno confluxu apud Lugdunenses nostros se collegerat, id omne facile post te relinqueres ac longe superares. Donato ad hæc luce publica tua in familiam Heinsianam pietatis egregio plane monumento. Quippe cum è vivis excessisset, te inter nos adhuc figente sedem, post diuturnos morbi lentissimi cruciatus, parens mea, Ermegardis Rutgersia, optima ac sanctissima matrona, in ipso etatis flore nobis prærepta, funus genitori meo mihique ac sorori unicæ per quam luctuosum carmine epicedio facundus parentator prosequebaris, quod inter alios complures felicis ingenii fœtus in poëmatis tuis palam nunc per orbem litteratum circumfertur. Ex illo, etsi variis susceptis peregrinationibus, tamen ad nos subinde vesti-

UVA. BHSC. BU 06120

vestigium flectebas, & postea Dantisci collocato domicilio, amplissimoque muneri admotus, non destitisti tam me ipsum quam parentem meum, dum quidem is superstes in rebus humanis egit, litteris frequentibus ac planè mellitis continenter fovere, tuique memoriam absentibus identidem refricare jucunda & diserta compellatione. Quid quod mihi ante hoc decennium atrocissima procella per mare Balthicum jactato, ac casu in Dantiscanum portum post longas irati maris agitationes compulso, graviter praterea ægrotanti, quotidianus toto fere morbi tempore salutator adfuisti, una cum Ioachimo Hirtenbergio Pastorio, viro ut medicinæ omnis callentissimo, (cujus artis fundamenta abs te quoque jacta sunt haud infeliciter, prius quam jurisprudentiæ te dabas) sic historico ac poëta prorsus insigni, iisque super hæc virtutibus instructo, ut sine cura nequaquam sit prædicandus? Iamque vires dejectæ paullatim instaurari cœperant, cum tu rheda exceptum, si recordaris, me deducebas sæpenumero per pomœria civitatis vestræ & suburbanos colles longe illos amœnissimos, atque hinc arbusti densioris coma viridante, inde mira segetis ac frugum ubertate lætos, quo spectaculo haud modice equidem capiebar, sic ut post informem maris ac importunæ febris assultum in Tempe illa Thessala aut in Parnassum repente delatus mihi viderer, duce præsertim poëta tanto, ac tam elegantis ingenii confabulatore. Quod si Spartæ tibi concreditæ negotia publica interdum te avocabant Thorunium domo, non intermittebas alios oppido præstantes viros cohortari, ut vices apud me tuas implerent, utque tempori ac morbo fallendis operam diligentem navarent. Quo in numero, præter Philippum Pelsium, res fœderati Belgii apud vos agentem, succurrunt præcipui etiamnum Iohannes Ernestus Schmidius, patricii vir sanguinis, ac proaviti honoris meritum jam nunc ante ætatem multa virtute multaque eruditione complexus, & Iohannes Petrus Titius, litteras humaniores in vestra civitate non sine plurimo professus applausu. Quid nunc dicam, quibus officiis cum decumbentem adhuc apud vos, tum post refocillatas utcumque vires è portu vestro jam jam solutarum amplissimus civitatis magistratus sit prosecutus, & quam honorifice habuerit? Cujus argumenti me narratione cum breviter

UVA. BHSC. BU 06120

ter & transcurrendo defungi haud par sit, oportuniori loco eam reservandam seponamus puto præstabit. Id obiter nunc monuisse suffecerit, *tantæ hospitalitatis beneficium tibi præcipue acceptum à me referri, cujus sollicitudine plus quam fraterna tunc effectum est, ne morbi pertinacioris incommodis succumberem, neve vitam in discrimen summum vocatam cum morte commutarem. Hæc cum ita sint, mi Fabrici, nihilque præter ordinem super incomparabili rerum mearum studio in te collaudem, quam multa simul concurrant pulchre, ni fallor, vides, quæ tibi præ cæteris libellum hunc offerri jubeant, ac alio me converti non sinant. Ne nunc enarrem, parentem jam olim meum indole tua ad præclarum quodvis contendente sic capi ac deliniri solitum, adeoque præsentissimam ingenii vim in te fuisse miratum, ut quotiescumque me ad hæc Musarum sacra conatu omni consectanda instigabat, quod fiebat ab illo satis frequenter, tuo potissimum exemplo pulcherrimo hic uteretur, idque mihi imitandum assidue proponeret. Accipe igitur mutuæ necessitudinis exiguam hancce tessellam, cum & tu non minimam poëmatum tuorum portionem meo jamdudum nomini dicatam, tamquam amicitiæ nostræ indubitatam testem atque indicem apud posteros volueris exstare. Vale. Scribebam Holmiæ Suecor. a. d.* III *Eidus Sextiles anni, post natum generis humani servatorem,* CIↃIↃC LXV.

Iohan-

UVA. BHSC. BU 06120

Iohanni Ludovico Balzacio.

FAcundiſſime Ludovice, quotquot
Nunc ſunt, tempore vel fuere priſco
In turba populariũ tuorum;
Cui vernacula Suada perpolite,
Cui fari dedit efficace lingua,
Et vivacibus intonare chartis:
Curſu haud unius audiendę ſæcli,
Longumque exſequiis ſuperfuture,
Atque à funere mox videndę major;
Cum Famæ alitibus vehêre pennis
Rorans nectare, deſpueſque ab alto
Pigræ flumina non bibenda Lethes.
Hæc olim Pyliæ ſeni ſenectæ
Æquis numina dent benigna votis.
At nunc, ut valeas, juvat doceri;
Verbo vel juvat unico doceri:
Ne deſiderio tuæ ſalutis
Incaſſum, Ludovice, maceremur.
Scribe ergo, ut valeas, diſerte noſter.
Plenâ ſi frueris ſalute, lapſam
Quin tu reſtituis mihi ſalutem.

Ioanni Franciſco Saraceno ſuadetur, ut Poëmata ſua edat.

GRande novem Saracene decus facunde ſororum,
Idalis adſperſit quem ſale Diva ſuo,
Eia age, nectareos in lucem prome lepores;
Totque jocis meritum parce negare diem.
Fama tibi jam ſtravit iter ſpatioſa benignum:
Proſiliat latebris ſplendida Muſa ſuis.
Nequicquam premitur, Saracene. modeſtia ſera eſt,
Tam bene nota aliis, quam male nota ſibi.

Ergo

UVA. BHSC. BU 06120

Ergo tot fruſtra Veneres largitus Apollo,
Et fovet ingratum ſpreta Thalia caput?
Ferree, tun' vatis titulum nomenque tuliſti,
Progeniem jugules qui, Saracene, tuam?
Par ſcelus in natos admiſit Iäſonis uxor.
Vivere tu prohibes, quos dedit illa neci.

In obitum viri optimi ac ſummi Theologi Frederici Spanhemii.

PErmiſere ſibi ſi quid ſuſpiria quondam,
Si dolor in lacrimas prodigus ante fuit;
Fletibus æternis lugubria buſta rigentur:
Exigit hos meritis nobilis umbra ſuis.
Spanhemio moriente levis dolor omnis, amici;
Impar materiæ planctus & iſte ſuæ eſt.
Hoc tumulo Libitina animam Virtutis humavit:
Quot bona tam ſancti funere rapta viri!
Perſona lamentis en omnia: queſtus ubique eſt.
Nulla vacat gemitu, nulla dolore, domus.
Si tot amicorum lacrimis nil creditur, hoſpes;
Crede vel Invidiæ. Livor & ipſe dolet.

Ad Aulum.

Alaſtor in funere Frederici Spanhemii ploraus, quem vivum diris modis exagitarat.

CUm fila terſa, ſancta fila Spanhemî
Atrox pararet diſſecare jam Clotho,
Flevere quicquid Belgica ora præſtantum
Nutrit virorum; nulla non domus flevit:
Flent omnis ætas; æquus omnium eſt mœror.
Quin conſtat, Aule, fleſſe Alaſtorem obſcœnum,
Crudum, execrandum fleſſe Alaſtorem conſtat.
Res mira viſu: qui calumniâ totâ

Vivo

UVA. BHSC. BU 06120

Vivo involarat ante carnifex famam;
Ut involat præsignibus viris semper;
Nunc fractus, & dejectus, & sui oblitus
Lamenta versat, rumpiturque singultu.
Quid velle fletus hos miserrimos credas?
Quod arbitraris conscientiam oppressam
Atrocitate criminum hos profudisse,
Fœdique adactam pœnitentiâ moris;
Diram, Aule, nescis hujus indolem monstri,
Opinione falsus ah tuâ quantum!
Lacrimis malignis credulo viatori
Lagêa sic per arva bellua imponit.
Quid flevit ergo? flevit, Aule, si nescis,
Rubiginoso morsibusque contrito
Quem vellicare dente posset, ereptum.

Carolus ejus nominis primus Britanniarum Rex nefarie à suis trucidatus.

CArole, amor rerum, manibus cur sancta tuorum
Præcipitata tibi funera? mitis eras.
Non tulit hos in Rege suo fæx barbara mores,
Parque fuit sceleri, non didicisse scelus.
Hactenus hospitibus fugienda Britannia solis,
Advena nec sedem quam velit esse suam:
Nunc dominis infensa & inhospita Regibus ipsis;
Ausaque barbariese superare suâ,
Augustâ fit cæde nocens: quod postera pubes,
Quodque ego vix credam fletibus ipse meis.
Defuit hoc sceleri, Læstrygones, impia tellus?
Ultores aliquid jam fore scite Deos.
Hoccine servitio libertas sævior omni,
Sacrilegæ leges hoc potuere nefas?
Dî, bene; quod nostro submota Britannia mundo
Criminis invidiam sustinet una sui!

Atque

UVA. BHSC. BV 06120

Atque utinam, Dî, nulla foret! precor exeat ævo,
Diraque Cimmeriâ nocte prematur humus.
Quid liceat sceptris, ubi nec clementia tuta est?
Antiphatâ dignus Rege Britannus erat.

Simoni Vinnio Arn. Fil. cum supremos in utroque Iure honores consequebatur.

VInni sedule, digne laude Vinni;
Primam Delius & Themis juventam
Cui pallentibus abstulere curis;
Cui tot sollicitas lucerna noctes
Duxit pervigil, ebriumque olivo
Lychnum Lucifer haud semel notavit;
Quem sæpe Aöniæ lyræ vacantem
Vidit Cynthia, desidesque somnos
Damnavit dea Latmii mariti.
Jam te continuo manet labori
Merces debita, teque Fama, Vinni,
Ultro, te meriti ambiunt honores;
Æquis passibus & vocant iturum
Per vestigia, quîs peregit orbem
Splendor nominis inclytus paterni.
Quo cretus genitore sis videto,
In te quem venerabimur renatum,
Vinni sedule. Cernis, ut procetur
Blande te Themis, & trahat trahentem,
Omni vix aliis emenda voto,
Quam sponte obvia, quam benigna vobis!
Totam muneris hanc habes paterni.

Rocho Hoffero, sui ipsius ac parentis sui poëmata edituro.

ROche, sodalitii longos spectate per usus,
Nec qui me modice, semper amatus, amas;

UVA. BHSC. BU 06120

Indole nil poterat præstari dignius alta,
Quodque magis meriti debuit esse tui,
Quam rapere è tenebris facundi plectra parentis,
Et superâ cassum luce fovere caput.
Perge agere id quod agis, cœptosque absolve labores,
Exempli stimulos & tibi subde tui.
Sic patriæ titulos, Hoffere, tueberis umbræ:
Sic genitor Stygiis eliciendus aquis.
Hoc quoque si monitis præsagi credis amici,
Cum patrio citharam pectine prome tuam:
Unaque da geminas ostentet pagina lauros;
Unaque ovet gemino vate superba domus.
Audior. ecce simul prolesque parensque leguntur,
Arduus in laudem tendere uterque suam.
Tam similes prolique parens prolesque parenti,
Se totam, ut dubitet, cui dare Fama velit.
Perge per æterni meditamina, perge, laboris
In nemus Aönium plurimus ire nepos.
Quid precor, & votis agito damnanda modestis?
Lassarunt Clarias jam duo plectra Deas.

Caspar Kinschotius fatali morbo decumbens, dum ipse navigans in Sueciam magna tempestate agitabar.

CImbrica me Tethys Borealibus aspera nimbis
Jactat, & Arctoï spuma sonora salis;
Cura tamen de me non est mihi. Dî, date tantum,
Plurima cui meditor vota, superstes agat.
Ah meus invalidos Kinschotius uritur artus.
Præda miser lentis febribus ille jacet.
Quemne ego deserui crudelis, ut ultima ferrem,
Et caput hoc diris ingereretur aquis?
Pœna premit meritum: nil deprecor æquoris iram.
Supplicio gravior, Dî, mea noxa suo est.
Alterutrum si fata vocant, me spargite ponto.
Est mihi Kinschotio sospite vita mori.

Sni

UVA. BHSC. BU 06120

Sin illum fera Parca trahit, quin jungor amico,
Quo ſine nequicquam, Dî, ſupereſſe velim.
Cernitis, ut multam juveni Cytherea ſalutem,
Ut Charis, ut Pæan, Aönideſque rogent?
Spes tantas, bona fata, meis ſervate Batavis.
Mortuus hoc vivam pectore. vita, vale.
Quam levis ô faciliſque mei jactura peremti,
Illo qui nequeam non moriente mori!

Ad Eminentiſſimum Principem Franciſcum Barberinum, in Galliis hærentem.

UNica ſpes Muſis, Patrui poſt fata, Latinis:
Pegaſeis pretium quo duce crevit aquis;
Cujus adhuc humeris, altam meditata ruinam,
Pieris adflictum ſuſtinet ægra caput:
Quid reditus, Franciſce, tuos trahis? adſpice, quanto
Auſonis hunc voto flagitet orba diem.
Adſpice, quot gemitus lamentaque libet ademto;
Pulſet ut infeſta pectus & ora manu.
Quam miſeram nox certa manet, niſi protinus adſis.
Ore canit Pæan præſcius iſta meo.
Nec vatum dubitanda fides. quid adeſſe moraris?
Tu Genius patriæ, tu jubar omne, tuæ.
Haud fugient niſi Sole vagæ veniente tenebræ.
Phœbe, ſerenatum tu facis ire diem.

Iohanni Baptiſtæ Donio Patricio Florentino, viro inter doctos optimo, inter bonos doctiſſimo, Muſicæ veteris & antiquitatis omnis magno inſtauratori, immatura morte ſublato.

SCientiarum pectus omnium ſedes,
Vindex vetuſti temporis, ſui lumen,
Pitho Pelaſga, Suada Romulæ gentis,

UVA. BHSC. BU 06120

Etruſca Siren, nectar aureæ vocis;
Sal Gratiarum, mens Leporis antiqui,
Cortina Phœbi, Muſici chori plectrum,
Minervæ amores, ipſe Candor & Virtus;
Hæc, pluraque his, hoc clauſa nunc tacent ſaxo.
Dixi, viator, multa: nil tamen dixi.

Ad Danielem Blanckium, Lycei Patavini pro rectore, Medicorum ordini inſertum, extemporalis gratulatio.

BLancki, eruditæ ſceptra cui juventutis
E flamma Achiva ſtragibuſque Trojanis
Antenori ſervata credidit Pallas;
Poſt æmulandi diligentiam exempli,
Quæ ſeſe honori præſtitit parem tanto,
Ne præmiorum ſumma deſit aut merces;
Apollinari laurea tibi frontem,
Phœbo ſacrandæ lectus arbiter turbæ,
Scientiarum fax, Licetus obnubit;
Qua rex minorum magnus Hadria undarum
Glauco feraces ſtringit alveo campos:
Tam doctum alumnum, tamque pectus excultum
Lymphis Boruſſis invidente Benaco.

Fortunæ imagini ſubſcriptum, in Philotheca Iacobi Philippi Thomaſini Æmonienſis Epiſcopi.

ATernitati nate, virtutis capax,
Et mente ſordes rapte terrenas ſupra,
Contemne fluxa regna fallacis Deæ;
Neu blandienti credulam præbe manum.
Debere ſorti turpe, quod poſſis tibi.
Quamquam beatas rara commendat domos,
Plerumque rebus addita adflictis comes,
Atque expeditas ſarcinas ſecum trahit
Egena Virtus omnium, dives ſui.

Volu-

UVA. BHSC. BU 06120

Volubili Fortuna verſatur rota,
Conſtans moveriſemper, & ſemper levis.
Fidam experiris? craſtino infidam die
Scito futuram: lubrico imponit gradu.
Proinde, famam quiſquis ac laudem aucupas,
Atrocius quo ſævit, hoc perſta magis;
Neu fortuîtis caſibus tergum dato.
Cedunt prementi fata, cedentem premunt.

In Elogia clarorum hominum à Guilielmo Colleteto conſcripta.

NOtus Hyantææ vada Colletetus ad undæ,
Gallica quem Clario Muſa lepore beat,
Hactenus æterno dum dedicat otia Phœbo,
Multa viro Aönia gloriâ parta lyrâ eſt.
Jam ſat, ait, tibi, Muſa, datum. quin pergimus ultra,
Qua patet eloquii liberioris iter.
Nec mora; laudatrix cum ſurgere pagina cœpit,
Et pia dat meritis vivere charta viris.
En tibi nunc, quod, Livor, agas. rumpare legendo.
Dente fero nullum dignius exſtat opus.
Materieſque auctorque negant tibi poſſe probari:
Provocat hic morſus, provocat illa, tuos.
Neu vero in caſſos armari luce recuſa,
Sacrilegâque time vellere buſta manu.
Colletetêa nam quæ celebrata papyro eſt,
Turba nequit dici mortua, viva poteſt.

Viro Maximo Hugoni Grotio, Delphis Batavis in patria ſepulto.

QUi magnos hac mole legis requieſcere manes,
Et non mortali juſta ſoluta rogo;
Ne, quæſo, ne crede. fides in marmore nulla eſt.
Crimina quid, quo jam progrediantur, habent?

UVA. BHSC. BU 06120

Aut quid, quo penetrent, mendacia? muta sepultos
Saxa cavillari si liquet ausa Deos.
Creta dedit tumulum, cunabula Creta Tonanti.
Creta docet nasci numina, Creta mori.
Scilicet hæc fingant audacter, ut omnia, Græci:
At patriæ cuperem non imitanda meæ.
Gens ob candorem memorata vel hostibus ipsis,
Fallere, vos priscam, turba Batava, fidem?
Nec satis est cunas ostendere; pergitis ultra.
Jactat Apollineos Delphica terra rogos.

In Talpam, scriptorem plagiarium & indoctum.

QUem manifesta premant alieni furta laboris,
Scrinia vulgantem non sua, Talpa, vides?
Obvia quem tangant mordacis murmura vulgi,
Publicaque exagitent sibila; Talpa, vides?
Denique deprensum pueri, juvenesque, virique,
Quemque vocent furem compita, Talpa, vides?
Ut videas nil, Talpa, tamen, mihi crede, videris;
Et nulli non te prodit adunca manus.
Furva colorato cornix nil fallis amictu:
Nil ope Massylæ fallis, aselle, jubæ.
Obtusos neu finge oculos tibi cuncta videnti.
Hoc quoque, quam videas nil, puto, Talpa, vides.

In Aquilam, insigne gentilitium Cardinalis Dongii.

FUlmineam, quicunque vides, venerare volucrem.
Fida magis Latio nulla ministra Jovi est.

Iohanni Vestingio, equiti.

MAxima, Vestingi, medicantis gloria Phœbi,
Quem nihil in tota, quod juvet, arte latet,

Bis

UVA. BHSC. BU 06120

Bis ſeptem me febris habet violenta diebus,
Languidaque immodico membra calore terit.
Adventu nunc ecce tuo fugitiva remiſit,
Viſa ſalutiferæ vim timuiſſe manus.
Quos non ſubmoveas valido medicamine morbos,
Si neque conſpectus ſuſtinuere tuos?

In effigiem Franciſci Bernardini Ferrarii.

SIc devota tibi Ferrarius ora ferebat.
En, pia poſteritas, quem venerere, virum.
Os, velut in ſpeculo, licet intueare diſertum.
Artifices ultra nil valuere manus.
Pectora ſi poſſent nive candidiora referri,
Nectare Cecropii pectora plena favi;
Tota venuſtatem ſpirantia, tota lepores;
Jure Promethêæ cederet artis opus.

Ferdinandus Furſtenbergius, dum hortos Tibure Eſtenſes una perluſtramus, aquarum hinc illinc è terra per occultos tubos proſilientium vi ſubitâ præter expectationem circumventus permaduit.

LUſtrat Ateſtinos dum Furſtenbergius hortos,
Qua natat irriguis fertile Tibur aquis;
Ecce repens prorumpit humo, vatiſque diſertum
Os petit & Clarios lympha doloſa ſinus;
Fallor? an exegit per hiantis viſcera terræ
Non exſpectatas obvia Naïs aquas?
Dum decus Aŏniis hoc invidet illa deabus,
Et premere amplexu geſtit inepta ſuo.
Thiodamantêus non eſt puer, improba, non eſt:
Hos ſibi Calliope vindicat alma ſinus.
Supprime, dædalei cuſtos laſciva vireti,
(Nil agis inſidiis, perfida Naï, tuis)

UVA. BHSC. BU 06120

Supprime fallaces, Anieni filia, lymphas.
Non nisi Castaliis ille rigandus aquis.

Pugillares eburnei munus Carolo Dato missi.

SOmniaque & nugas cui credidit ante canoras,
Id dono Heinsiades nunc tibi mittit ebur.
Invidiosa manent viles, Date, fata tabellas,
Quas teret Aönio conscia dextra Deo.
Sacra quibus Tuscæ sunt committenda Thaliæ,
Mille quibus Charitum seria, mille joci.
Quod nitet argento, quod pagina dentibus Indis,
Candidior non est moribus illa tuis.
Gemmea, crede mihi, si digno digna parentur,
Tam cultam deceant vix bene dona manum.

In Orationem Ioannis Guidaccii Equitis & Canonici, habitam Florentiæ in Academia Apathistarum.

PLaudite, Pierides: Guidaccius ora resolvit
Plena favo Suadæ, nectare plena, suæ.
Ora, Deæ, solvit Guidaccius. ecce, citatas
Arnus ad hanc vocem stare coëgit aquas.
Confluit auditor vagus undique. tecta replentur
Facundi tacitâ relligione soni.
Dicenti favet ipse locus, Medicêaque rident
Sidera, Ledæo germine major honos.
Purpurei ipse apicis decus annuit, annuit ipse
Gloria purpureæ Carolus, ecce, togæ.
Est aliquid placuisse Deis. præsentia cœli
Dat stimulos animis, nec leve calcar habet.
Jamque oblita sui, divino percita nutu,
Concipit ætherios enthea lingua sonos.
Nec, quam miramur, vox est Guidaccia: vocem
Commodat huic præsens & movet ora Deus.

UVA. BHSC. BU 06120

In Augustini Cultellini Orationem funebrem, qua viro integerrimo Braccio Manetto Patricio & Mathematico Florentino parentabat.

PRæsidium qui mite fuit, dum vixit, egenis
Braccius; & largas sic bene trivit opes;
Uranie ætherios dederat cui nosse recessus,
Astraque & amotos visere mente Deos;
Mærorem exstinctus desideriumque reliquit
Grande sui patriæ, pauperibusque sui.
Exsequiis meritos dat Cultellinus honores:
Vivere dat tanto post sua busta viro.
Materiæ par est facundia. scilicet alter
Tam bene laudandus, quam bene vixit, erat:
Alterius sed palma prior; qui præstat, amici
Ne lateat pietas hæc, pietate suâ.

Ad Illustrissimum virum Carolum Sanctamauræum, Marchionem Montoserium, cum poëmata sua editionis secundæ illi auctor offerebat.

LAus, Montoseri, magna Gallici Martis,
Major Dearum, fonte quæ Medusæo
Os irrigatis fila vatibus præstant
Rubiginoso tuta temporum à morsu,
Omnique vocem quæ perennet in sæclo;
Eia intuere fronte candidâ hos lusus,
Et non severâ nesciâque rugarum;
Qualem molesta tot clientium haud raro
Turba experitur, & frequens salutator,
Quos mane toto, quos meridie admittis,
Non his adiri te decebat à nugis,
Auremque sacram frivolis profanari.
Nam pessimæ absit ut patrociner caussæ,

UVA. BHSC. BU 06120

Phœbum æmulantis unice artifex plectri,
Plectri, futuris quod nepotibus sacrum est.
Sed dum subinde demereris absentem,
Sed dum lacessis, mancipasque constrictum
Benignitatis non solubili nodo,
Molestiam ultro maximam tibi acquiris.
Scin' arrogare quidlibet sibi vates?
Quis hunc abusum, quis licentiam frenet,
Auctoritas quam cana temporum invexit?
Hic, Montoseri, mos malus poëtarum est,
Phœbo nec ipsi nec sororibus Phœbi
Ut tura libent victimasve vittatas,
Sed carminum dent Dîs datoribus carmen.

In historiam Concilii Florentini à Roberto Critonio, Britanniarum Regis Sacellano, editam.

INconcussa malis quas det Sapientia vires,
Rebus in adflictis quam sibi præstet opem,
Ut se præsidio vallet virtutis, & omnem
Rideat adsultum, robore tuta suo;
Exempli te rara docet Critonius alti
Gloria, qui volvis nobile, Lector, opus.
Flebat inexhaustas oppressa Britannia clades,
Regiaque à famulis colla resecta suis.
Paucorum pars magna fugam comitatus herilem
Fortunæ trepidas non dedit ille manus.
Nec pulchram pietate fidem sancivit inerti.
Sed venit ad partes bibliotheca suas.
A studiis animo devertitur hospite nusquam:
Illa loco patriæ sedulus exsul habet.
Sollicitam mulcent hæc oblectamina mentem:
Hac domat, hac luctus decipit arte suos.
Sustinuit patriis Critonius exsul ab oris
Condere, quod numquam Fama reléget, opus.

Epita-

UVA. BHSC. BU 06120

Epitaphium Petri Scriverii.

HUic sua commisit Scriverius ossa sepulcro,
Historiæ vindex corque, Batave, tuæ.
Civica cui toties Romano venit ab orbe,
Seu sua scripta foras, sive aliena daret.
Succubuere quidem spatiosæ membra senectæ:
Nominis at spolium sæcula nulla ferent.
Collatum ne, Rhene, tibi præpone Salonem;
Aurifero consors sit licet ille Tago.
Bilbilicus vates Latii laus rara leporis
Quod placet & spirat post sua fata, tuum est.

Vinum Opimianæ notæ, Serenissimi Electoris Palatini munus.

MIssa Palatino nobis ab Apolline nuper
Munera blanditiis imperiosa suis,
Intermissa jubent modò plectra resumere vatem.
Munera sufficiunt Pegason illa mihi.
Quid mirum, Aönios quod equi dedit ungula rores,
Par liquor Aönium cum mihi gignat equum?

In effigiem Henrici Bornii Philosophiæ Professoris, Principi Arausionensi à studiis.

BOrnius hoc vultu est, Sophiæ genuina propago,
Quò dea Socraticos stillat ab ore favos.
Frons nec stricta viro, nec quam ferus asperet horror:
Nulla supercilio nubila; fastus abest.
Ridet amabilitas per amœnos commoda mores,
E bene lustrato quod tulit orbe decus.
Verba cothurnato nusquam crepat apta tragœdo,
Quæ Cato vel Curius vel Numa priscus ament.

Crede

UVA. BHSC. BU 06120

Crede mihi, cynicos non fert Sapientia geſtus,
Scita nec immodico plena rigore probat.
Bornius in veram molitus pectora laudem eſt;
Miſcet Ariſtippum qui tibi, Zeno, ſuum.

In effigiem æri inſcriptam Caroli Secundi Britanniarum Regis. Ad Fortunam.

HUnc ſeſe artifici populis dat in ære videndum
Carolus, auguſtæ ſpes recidiva domûs;
Quem fata immeritum regnis fraudare paternis
Poſt rerum infeſtas erubuere vices.
Ille diu (quod victa viri virtute fateris)
Perfidiæ crimen, Fors inimica, tuæ;
Sacra Britannorum turbatis anchora rebus,
Et patriæ ſero vix ſapientis amor,
Suſcipit excuſſum capiti diadema rogatus,
Sceptraque plebeias non bene paſſa manus.
Profecturn, Fortuna, nihil vel cæde Parentis,
Vel Gnati exſilio, bis ſcelerata, tibi eſt.
Accepta auſpiciis proavitis regna referri
Dum prohibes, meritis vindicat emta ſuis.
Dilue ſacrilegæ maculam, rea, dilue noxæ;
Ne tibi poſteritas hoc licuiſſe gemat.
Fata niſi expugnas fatis adverſa ſecundis,
Æternum invidiæ colla gravabit onus.
Expiet innumeris patrium caput ille triumphis.
Abſolvi haud aliâ lege, nefanda, potes.

Ad eundem, cum Monckianas laudes illi mittebat auctor.

INſpice ſcripta duci facilis præconia magno,
Maxime Rex: neque enim ſunt aliena tibi.
E domito victor quam Monckius hoſte paravit,
Auſpiciis cauſſæ debita palma tuæ eſt.

In

UVA. BHSC. BU 06120

In Filium primogenitum Ludovici XIV Regis Christianissimi.

MAxime Borbonii salve diadematis heres,
Longa tuis Celtis gaudia nate puer.
Dî, superet! Dî, sospes agat! nil poscimus ultra.
Indole prævertet votaque spemque suâ.
Certa futurorum præsagia Marte fugato
Ille dedit terris, auguriumque sui.
Quæ non exhibeat miracula plenior ævi?
Quæ satis hunc cumulet gloria laude virum?
Per quem nata salus post bella nefaria rebus,
Tunc quoque, cum natus nec foret ipse, fuit.

In Systema Saturnium Christiani Hugenii Zulichemii.

LAudibus Hugeni pars addite magna paternis,
Quem totum Uranie vindicat alma sibi.
In cunis placiti reptare per avia cœli,
Astra tibi puero volvere ludus erat:
Astra minus patriis non trita penatibus olim,
Cognita natali non minus astra solo.
Jamque eadem populis mirantibus astra recludis,
Perspicua ingenii lumine facta tui.
Qualis sidereo radiatus in æthere Titan
Oppositam nocti spargit ubique facem.
Ardue stellantis salve metator Olympi,
Qui supera nobis das regione frui.
Per quem discussa dubiæ caligine mentis
Inferimur liquido comminus ora polo.
Devocat in terras, magico sine carmine, Lunam
Æqua Syracosio cui manus arte seni.
En Jovis annoso genitor nunc carcere per te
Prodit, & insolitam rursus oberrat humum.

Macte

UVA. BHSC. BU 06120

Macte ausu studioque, Deos qui vindice chartâ
Adseris, inventi qui facis astra tui.
Falcifero tenebrosa seni cum vincula laxes,
Sæcla tuum nobis aurea munus erunt.

In Orationem Alberti Rusii luce donatam, de jejuna quorumdam & barbara juris compendiaria, cum juridicam in alma Batavorum Academia Professionem ipse auspicabatur.

EN tibi, quæ doctæ plausum meruere coronæ,
Dum recitatrici pulpita voce sonant.
Attonitas aures modo captus ab ore diserto,
Nunc tua quo pascas lumina, Lector, habes.
Vile tegi parvo monitum ne crede libello,
Pagina quale tibi quotidiana ferat.
Rusiadæ veneranda sui Themis ore locuta est,
Quo dea cognitius vix sibi pectus habet.
Credite: sic Romam, veteres sic fovit Athenas,
Degeneri nondum cedere jussa foro.
Mascula pondus erat dubiæ facundia caussæ;
Laus pretium palmæ, palma dabatur honos.
Ære patrocinium nusquam venale pudendo,
Linguave prostabat mercis emenda loco.
Litem ex lite serens non inficiator alebat,
Non reus actori victima pauper erat.
Delphica Rusiacæ fundunt oracula chartæ:
Conciliat profugam vox tibi sancta Themin.
Hæc si jussa facis, terræ spectanda relictæ,
Exsulat in cœlo quæ Dea, rursus erit.

Ludo-

UVA. BHSC. BU 06120

Ludovici XIV Regis Christianissimi pia & pulchra sollicitudo ob Reginæ Matris adfectam valetudinem.

ANna parens Augusta toro moribunda jacebat:
Perdiderat vires sera medela suas.
Deplorata salus nulli revocabilis herbæ
Undique collatam destituebat opem.
Austriaci decus Anna laris: duo numina rebus
Quæ felix utero bis pariente tulit.
Consternata metu Superis pia Gallia surdis
Dat non auditas, dat sine fine, preces.
Tu demum, adserto Ludovice salutifer orbi,
Numina qui posses flectere, solus eras.
Invidiam tanti non sustinuere doloris,
Et Parcæ gemitus erubuere tuos.
Tot lacrimas puduit, tam justa repellere Regis
Vota, negavissent cui nihil ante, Deos.
Per te salva parens: per te lux illa parenti
Reddita, quam sanctæ munera matris habes.
Dî terris populoque palam fecere quid esses,
Quamque darent meritis sidera prona tuis.
Accumulant titulos materna pericula nato.
Parcior incolumi laus genitrice fuit.
Nunc Superis cautum est, ne clarior arte regendi,
Aut Mavorte tuo, quam pietate, fores.

In victoriam Lotharingicam Ludovici XIV Regis Galliarum à Deo dati.

ULtor in Austrasiam Ludovix dum signa rebellem,
Castraque fulmineo Marte probata movet;
Dî cœptis caussæque jubent servire triumphos.
Justa lacessitam concitat ira manum.
Vincere cur solitum temeraria ferris in hostem,
Austrasia in clades ambitiosa tuas?

Quid

UVA. BHSC. BU 06120

Quid captes video. cum nil tibi fata relinquant,
Spem nisi laudatæ materiamque necis,
Hæc te dextra facit, qua prosternêre, superbam.
Dum busto titulos accumulare juvat,
Invidiosa foves memorandæ vota ruinæ.
Borboniâ nolit quis cecidisse manu?

Aliud.

AUstrasiæ te palma vocat: quid fata moraris?
Obstat inaccessi nil, Ludovice, loci.
Mœnia se pandunt vallata paludibus ultro,
Fulmine conspectûs mœnia tacta tui.
Occupat adventum victoris adorea præcox;
Et rapuisse viam ferre tropæa fuit.
Nuda tui frangit præsentia numinis hostem.
Ne suscepta quidem bella triumphus erant.
Nil opus est armis posthac in prælia, Regum
Maxime, vel solum cum tibi vincat iter.
Emta aliis multo victoria sanguine laudi est:
Anticipat Martem prævia palma tuum.

Aliud.

AUstrasios dum bella paras genitura triumphos,
Quod via tam parvo tempore rapta tibi est;
Victurum cum sole decus, Rex maxime rerum,
Fallitur, humanæ qui putat artis iter.
Præstitit obsequium regalibus utile votis
Militiæ consors jam veterana tuæ.
Te tua remigio Victoria præpetis alæ
Rettulit ad patrios officiosa lares.
Non Getici Boreæ, non fulminis ocior aura est,
Exseruit properas quam tibi Diva manus.
Cum nil sit Famâ pernicius; hanc quoque victam
Vidimus, ut redituni pone secuta tuum est.

Con

UVA. BHSC. BU 06120

Contigit haud ullis nisi te victore triumphis,
Nuntius ut palmæ dux foret ipse suæ.

Aliud.

HInc tibi cum Mavors, illinc Victoria semper
Excubet, ad nutus pervigiletque tuos;
Anceps palma diu, Regum Rex summe, duobus,
Dum te certatim demeruere, fuit.
Nunc cur Diva Deum post terga reliquerit audi
Præventum obsequii partibus; ales erat.
Laus operum, senio sat cuilibet ampla superque,
Ante diem ferro jam properata tuo est.
Nulla ministrandis suffecit ab arbore sertis,
Inque triumphalem laurus itura comam.
Hostili multum rubuere crepundia tabo,
Et spolia infanti bellica ludus erant.
Exegere tibi cunabula Martia pugnas.
Hæ tyrociniis sunt elementa tuis.
Emeritum assidui jam te fecere triumphi:
Jam rude donavit Mars pater ipse suâ.
Ille, diu tua cura prius, dum porrigit herbam,
Et nil, quod meritis talibus addat, habet;
En cumulus laudum, Victoria sanguinis exsors
Fœdatam nullâ dat tibi cæde manum.
Hæc demum, Rex, palma tua est, mitissime rerum:
Hæc par tot titulis, hæc decus omne tibi.
Arma quid oppositum tam fortunata moretur?
Nominis Austrasii victor inermis eras.

UVA. BHSC. BU 06120

Ad Regem Christianissimum Ludovicum XIV, ut arma adversus Christiani nominis hostem convertat.

FUlminat Arctoum dum Thrax bellator ad Istrum,
Et domino famulas ponte coërcet aquas;
Dum premit Europen Asiæ subsessor inultam,
Prædaque, nec magno parta labore, sumus;
In te oculos, in te nunc spem Germania solo
Et meritam fixit, prælidiumque sui.
Barbariæ, Ludovix, nomen fatale domandæ,
Inclyte, palma tuam flagitat ista manum.
Palma jugis toties alienis, maxime victor,
Lecta triumphanti, nec regione suâ.
Restat Idumææ soboles pulcherrima silvæ:
Uberior nullo palma petenda solo est.

Othomannicus exercitus ad Arrabonem fluvium à Christianis singulari operâ ac mirandâ virtute militis auxiliaris Galli profligatur.

VIscera Pannoniæ Byzantius intima prædo
Carpit, & armato turbine raptat iter.
Belliger hinc Oriens comitatur ovantia castra;
Hinc Thrax quod validæ, quod Scytha, pubis habent.
Bosporeos Ister famulâ cervice triumphos
Atque indignanti ferre jubetur aquâ.
In scopulis non ulla mora est, nec in amnibus, hosti.
Christiadum tantus pectora terror agit.
Nil circumfusis arx tuta paludibus obstat,
Prærupti ingenio nil, salebrosa loci.
Actum erat Austriacis de partibus, optimus armis
Magnanimam Ludovix ni celeraret opem.
Mittitur auxilio veteranus in agmina miles,
Marti exploratum pulchra per ausa decus;

Robor

UVA. BHSC. BU 06120

Robore qui penſent numerum, diſcrimina lauro.
Thrax cadit, & latam funere ſternit humum.
Conjurata parem cui ſeſe Europa negabat,
Hunc fugat exiguâ Gallica turma manu.
Materies ſeris annalibus unica præſto eſt,
Plurimus è pauco milite natus honor.
Res haud mira tamen. quid enim non victor abiret;
Auſpicium dederas cui, Ludovice, tuum?
Hac tu parte tui præſens, Rex magne, fovebas
Pectora bellantum, fulmineaſque manus.
Plus ſatis in palmas, te mandaviſſe triumphum, eſt;
Quo res Chriſtiadum pignore ſalva foret.

Aliud.

BOſporus Europæ jugulum premit enſe ſuperbo:
Unica ſpes lapſis, Gallia, rebus ades.
Nec Ludovix in bella tuus palmamque feratur.
Abſit, ut hac cæſus Thrax luat auſa manu.
Exiguas numero ſat erit miſiſſe cohortes:
Mitte. ducis ſpirans miles imago ſui eſt.
His in pectoribus fibram ſparſere per omnem
Numina Mavortis ſe, Ludovice, tui.
Auguror: aſſuetos jam ſpondet adorea plauſus,
Laurea victricem jam ſubitura comam.
Colluvies, Ludovice, fugam Threïſſa capeſſunt;
Ut prope perventum eſt, conſeriturque manus.
Abſenti res magna tibi, Rex ſumme, peracta eſt:
Stat cumulo gurges ſtragis, inundat humus.
Admonuiſſe tui ſuffecit in arma furentes,
Ut conclamatâ terga ſalute darent.
Fulmina ſic mittit pro ſe ſua Juppiter orbi;
Horrendam populis teſtificata manum.
Nec pugnaſſe ſat eſt feliciter. aurea terris
Poſt debellatam Pax redit, ecce, luem.

UVA. BHSC. BU 06120

Ille ferox, rebuſque tumens aſperque ſecundis,
Quem cruor & ſævum Martis alebat opus,
Pollicitus meliora fidem dat pacis olivâ
Supplice ſpectandas inſolitaſque manus.
Quantilli ſudoris erat, ſtraviſſe ſub uno
Vulnere Boſporeas, maxime victor, opes!
Qui ducis amoti minimum ſic pallet ad enſem,
Quid te, ſi coram congrediare, ferat?

Sereniſſimus Princeps Auguſtus, Brunſvici & Lunæburgi Dux, anno ætatis octuageſimo quarto venaturam mirâ alacritate exercet.

ADdiderat jam luſtra ferè ter quina duobus,
Auguſti meritus nomina ferre ſenex;
Regnantum ſublime decus, quem ſemper habebunt
Principis exemplum ſæcula cana boni:
Venatum en agilis procedit, & integer ævi
Robur in indomitas fert juvenile feras.
Qualis apud Trojam, crudus viridante ſenecta,
Dardanias Neſtor Marte terebat opes:
Setigeros cum vulpe ſues, cervoſque, lupoſque
Concitat è latebris ſilva Cheruſca ſuis.
Cuſpide victricis petitur fera plurima dextræ,
Strataque ſanguineam vulnere ſpargit humum.
In nemora ipſe ſuum Pæan comitatus alumnum eſt,
Telaque non ſegni rexit adacta manu.
Pervigili curâ qui te modo, Phœbe, colebat,
Par ſibi germanæ nunc ſtudet ille tuæ.

UVA. BHSC. BU 06120

Aliud.

PAllada qui ſemper comitemque per omnia Phœbum
Poſt cives habuit gaudia prima ſuos,
Pectora qui fovit populis laſſata regendis
Hactenus ingenuæ mite per artis opus,
Magnanimus ſenior, cui ripa Viſurgia paret,
Quemque vocat columen terra Cheruſca ſuum;
Nunc alacer, primæque virens ceu flore juventæ,
Fert venatrici tela plagamque manu.
Deſuetum per membra Ducis Dictynna vigorem
Dum novat, id fratri gratificata ſuo eſt.
Cervus, aper, cum vulpe lupus, numeroſa ferarum
Per virides dumos occubuere cohors.
Pax redit agricolæ, pax armentoque gregique;
Seque Ducis debent moribus arva ſui.
Juſtitiâ patrias pacaſſe ſalutifer urbes
Non ſat habet, ſaltus ni vetet eſſe feros.

In Epiſtolas celebrium virorum à Simone Abbeſio Gabbema editas.

IN lucem veteris monumenta recognita ſæcli,
Ut nova, qui cultu ſub meliore dabat;
Acrem aliò curam converſus, & impiger auſi,
Gabbema nunc ævo conſulit, ecce, ſuo.
Per quem ſidereas, tineis damnata, ſub auras
Prodit epiſtolicæ copia lecta rei:
Pignus amicitiis abſentibus utile ſiquid
Juſſa dat alternas charta ſubire manus.
Hic ubi temporibus celeberrima nomina noſtris,
In ſpeculo mentem ceu referente, vides.
Hac ſenium deterſa manu Petronia cedat
Helleſpontiaco pagina ſacra deo.

UVA. BHSC. BU 06120

Cedat &, abruptos iterum quæ ſpirat amores,
Lesbia delicio paſſeris orba ſui.
Cynthia amatoris pulcherrima cede Propertî,
Dives & aſſiduo culte Tibulle foco.
Adfectos ſanaſſe parum eſt: nunc reddita luci
Sentit opem medicæ turba ſepulta manûs.
O bene, temporibus quod, Gabbema docte, vetuſtis
Invideant ne te ſæcula noſtra, facis!

FINIS LIBRI TERTII SILVARUM.

UVA. BHSC. BU 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

JUVENILIUM LIBRI DUO.

QUORUM ALTER

ELEGIAS COMPLEXUS.

ALTER VARIA DIVERSI ARGUMENTI.

Ad Illustrissimum Virum

CAROLUM SANCTA-MAURÆUM MARCHIONEM MONTOSERIUM.

UVA. BHSC. BU 06120

AULO LECTORI.

PÒne ſupercilium, juvenilis carmina venæ
Dum legis, aut nimiùm cenſor acerbus abi.
Obfuit incultæ lux feſtinata Thaliæ,
Elimaturam deſtituitque manum.
Alter amet rigidâ plauſum meruiſſe liturâ:
Nos magnum veniæ fecimus, Aule, locum.

UVA. BHSC. BU 06120

ILLVSTRISSIMO VIRO

CAROLO SANCTA-MAURÆO,

MONTOSERII MARCHIONI,

Regi Christianissimo à Consiliis, Engolismensi, Santonicæ, Alsaticæque Provinciis ac Castris Regiis Præfecto.

NICOLAUS HEINSIUS D. F.

On opinor reddendam mihi operosius fore rationem, aut apud te, Montoseri Illustrissime, aut apud alios per hoc regnum viros præclaros, qui te norunt, cur tuo potissimum nomine libelli hujusce frontem insigniri passus sim. Audacter quidem confidenterque id factum non nego: sive ad privatas tamen causas spectas, convênit me quotidie molesta illa flagitatrix, beneficiorum tuorum conscientia, ac grati aliquod animi testimonium tantum non expressit: sive ad publicas rationes converti mavis; quis, quæso, inter Galliæ tuæ tot proceres, tot ornamenta vestratis aulæ, nunc vivit, qui exactâ veræ poësios cognitione præferri tibi possit? Negarem & conferendum quemquam, nisi modestiæ magis tuæ quam veritati hoc loco litandum esse arbitrarer. Si more ac exemplo sæculi nostri patronum primi subsellii Musis meis quemcumque oportebat quæri; tu certe is eras, qui & natalium splendore, & summa, qua polles, auctoritate, provinciam abunde hanc tueri posses. Verum enimvero eam tibi laudem cum aliis quibusdam communem esse nequaquam ignoras. Ego autem cum de tali potissimum patrono cogitarem, cujus judicio non minus quam auctoritati fœtus hic noster concrederetur, unus tu occurrebas, qui votis meis non tantum par esses, sed & longissime ea superares. Adeo quidem, ut

UVA. BHSC. BU 06120

maximus mihi metus esse cœperit, ne, quæ aliis modica Poësio. *peritia instructis forte non improbabuntur, tibi harum litterarum acerrimo censori prorsus sordeant. Nescio mehercules, an fidem apud illos inventurus sim, qui dotes tuas haud perspexere, si dixero, Musas tam Latinas quam vernaculas adeo benignas te experiri, quamvis à prima juventute castris immutritum, & aliud plane agentem, ut præcipuum earum incrementum esse posset, nisi à virtute tua ad sublimiora rapereris. Metuendum mihi certe non est, ne adulationis suspicionem apud eos incursurus sim, qui aut vividum illud ac excitatum ingenium tuum, aut mores meos compertos habent: quos ut ad candorem & libertatem, (in qua me natum enutritumque noisti) quantum quidem fieri posset, summe gerem ac componerem, ab ipsis incunabulis contendisse sedulo me non diffiteor. Prælegisti haudita nuper, Vir Illustrissime, partem mihi Epigrammatum, quæ in carcere Bavarico triennium jam pæne est cum à te facta sunt. Nam quod Fortuna Marti tuo non semper se benignam præbuit, vel hoc ipso (mihi crede) magnum te probat: cum temerarios ut plurimum ac incautos foveat, circumspectos & providentes aversetur. Prælegisti, inquam, mihi partem Epigrammatum, quæ, nisi tua esse & à te conscripta asseverasses, pro antiqui auctoris, & quidem Romani, genuino fœtus probare se mihi poterant. Tam castigatam verborum rotunditatem, tam argutos sensus obviumque nec quæsitum longe acumen, tam nativum denique in iis deprehendi leporem, ut me mihi ac sui alios pudere jure debeat, qui totâ vitâ vix aliud egere, & tamen ab hac felicitate multum absunt. Tum vel hoc præcipua admiratione dignum duco, cum carcere, cum angore animi, cum mille tædiis molestiisque conflictantem tam concinne tamque feliciter potuisse scribere. Inter aves canoras principatum deferunt luscinia: quæ tamen cavea inclusa vix est ut cantet. De Fortuna præclarius profecto triumphari non poterat. At enim tam exquisitæ dotes cum nec latérent Heroïnarum sapientissimam Vxorem tuam, vitæ cælibi, cui se destinarat, totque præclaris, quæ inhærebat tota, sapientiæ præceptis bona tandem fide (nec unquam magis se probavit sapere) renuntiavit. Vnus tu nimirum Vir Illustrissime, tot inter magnates, tot culta ac polita ingenia,*

qu

UVA. BHSC. BU 06120

quo certamine tota Galliæ tuæ Europa lubens meritoque palmam defert, inventus es, qui ingentem animam ac supra sexum suum late evectam vi blandâ efficacis Suadæ tuæ frangeres ac delinires. Sciebas quippe, nihili eam esse sapientiam, quæ in privatos usus converteretur. Acceptum ergo tibi refertur, quod publico bono posthac illa consulet, datura brevi sobolem Patri Matrique simillimam. Ita multorum futuræ sunt virtutes, quæ duorum hactenus fuere. Quam quidem victoriam non minus gratulandam tibi censeo; ac si de hoste pertinacissimo, veteranis illis, inquam, Bavarorum copiis ad internecionem deletis, triumphasses: triumphaturum autem aliquando dubitare vix possunt, qui dextra non minus promtum pollentemque quam ingenio noverunt. Accipe interim libellum hunc, non tamquam te dignum, sed observantiæ meæ testem ac sponsorem; cujus patrocinium vel eo magis commendandum tibi reor, quod paucis lectorum fore approbandum videar mihi prævidere. Afucato enim scribendi genere, sæculi hujus lenocinio ac deliciis, semper abhorrui. Quod in iis, quæ maturioribus ætate ac judicio à me scripta sunt, maxime deprehendes. Nam adeo non severe cum Musis meis actum hic licet arbitrere, ut nonnulla etiam, ante annos totos septem conscripta, prodire passus sim. In quibus simplicitatem minus mihi curæ fuisse non nego. Incidisse scis in ea nos tempora, quibus à naturali decore frustra commendare te studeas. Vtcumque pulcher, alieno vultu appareas necesse est, non tuo, si placere cupias. Poësis præsertim ac eloquentia tantum non personatæ obambulant: cumque formis mille novis ac diversis, instar Protei cujusdam, adumbrentur quotidie; id unum tamen diligenter cavent, ne eâ facie conspiciantur, quâ meo quidem judicio maxime comprobandæ forent. Sed de eloquentia minus mirum videri debet, quæ, cum in aulis potissimum nunc excolatur, quidni fucatam se præstet? Fuerunt & alia satis multa, præter hæc, in poësi à me tentata, quæ domo discedens in scriniis partem potissimam reliqui. Norunt enim amici, nihil minus mihi cogitatum, cum è Bataviâ abirem, quam de lucubrationibus poëticis, quod tanti vix viderentur, prælo externo committendis. Nonnulla etiam ex iis quæ ad manum erant, in hostem communem destricta, supprimenda esse censui: ratus id amori Pacis dandum, cujus

UVA. BHSC. BU 06120

cujus ſpem tandem affulſiſſe boni mecum omnes lætantur plu-
rimum. Sed nec te, Montoſeri Illuſtriſſime, totum in patria com-
moda mente ac curis nunc converſum, operoſæ multorum verſu-
lectioni damnare volui. Ut, quia pretio ſui ac bonitate non poſſu-
brevitate ſaltem tibi ſe conciliet. Proxime enim ad ſapientiam
hoc ſæculo accedit, qui nimius non eſt ineptiarum. Invidioſum
prorſus fore ſat ſcio, ſi applauſum à te ſperem. quod reſtat ergo,
habebit cur benigne ſecum actum arbitretur juvenilis hic fœtus,
hic, inquam, Muſarum tyro, ſi eâ dextrâ juguletur, quam ipſi
quoque veterani fatalem ſibi in bello jam experti ſunt. Vale, &
affectum illum, quo me hactenus dignaris, ſi mereor, fac perenne-
re. Lutetiæ Pariſ. M. DC. XLVI. *Kal. Martiis.*

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA PRIMA.

AEneæ epistola responsoria ad Ovidianam Dido.

SI datur infando veniam sperare dolori,
(Ah pudet !) invito littera ducta mihi est.
Triste, loqui miseris. quid vulnera cogis amantem
Non tempestivâ tangere cruda manu ?
Exigis adflatum rapido Jovis igne moveri.
Cura levis queritur ; maxima cura stupet.
Vela parant comites, ventoque fugacia pandunt.
Scilicet hoc, Superi, restat ? Elissa vale.
Anchora sublata est : retinacula sola supersunt,
(Dî melius !) jussu non solüenda meo.
Nam quid ab hoc dubios festinem litore cursus,
(Hei mihi !) quod miseri pignus amantis habet ?
Nec leve pignus habet ? materna per æquora juro,
Per profugæ comites Troïa sacra viæ,
Per patrios manes, germanaque tela pharêtram,
(Ah nimis experto tela cruenta mihi !)
Invitus, Regina, tuis divellor ab oris.
Invitus, certe. testor, Elissa, Deos.
Si mihi sponte mea licuisset ducere vitam,
Nec miserum premerent fata maligna caput ;
Filaque nevissent faciles mihi mollia Parcæ,
Non interruptâ mollia fila colo ;
Una fores, cum qua thalamos sociare jugales,
Et cuperem vitæ condere lustra meæ.
Tu desiderium raptæ lenire Creüsæ,
Tu patriam poteras sola referre mihi.
Digna Deæ nato, pharetrati mater Amoris
Non adspernetur quam Venus ipsa nurum.
Hinc Asia, hinc teretes tibi quærerent Africa baccas,
Æquore quas legit hæc, quas legit illa suo.

Vela

UVA. BHSC. BU 06120

Vela laborarent Phrygiæ tibi ſplendida matres,
Textaque Sidoniis bis repetita cadis.
Quales induerunt Aſia florente paratus
Priamides natæ Priamideſque nurus.
Irrita ſed voveo. fatis prohibemur iniquis.
Quid miſer averſo molior iſta Deo?
Humida cum lucent taciturnis ſidera rebus,
Omina me vigilem turbida ſemper agunt.
Me patris in ſomnis Anchiſæ triſtis imago
Terret, & ante oculos ſtatque gemitque meos.
Jamque ſubirato ſimilis, nec amica minanti,
Uſque retentandum nutibus urget iter.
Pleïoneſque nepos & cœliferi Atlantis
Nocturno quoties viſus adeſſe toro!
Nocte vel hac aderat. vidi, Regina, monentem.
Ecce, repentinâ fulgida luce domus.
Virga manu, geminis inerant talaria plantis:
Ora galeritus flava premebat apex.
Nec mora: Quid Tyriis uxorius arcibus hæres?
Nulla adeo Italiæ cura relicta tibi?
Hic ſceptra Aſcanius quondam imperioſa tenebit,
Eque tua longus poſteritate nepos.
Ilion, Ænea, per te recidiva reſurgat.
Neſcio quid majus jam cinis ille dabit.
Vela para: rata juſſa fero. Jovis iſta voluntas.
Hactenus; & ceſſit noxque Deuſque ſimul.
At mihi diriguit necopino frigore pectus:
Sedit in attonito decolor ore tremor.
Laomedontêæ nunc denique parcite genti,
Cladibus & fracti, Dî, precor, eſte meis.
Credere cur vobis mea ſe Fortuna veretur?
Cur ea (me miſerum!) tam bene nota ſibi eſt?
Quid Phrygium Ænean mala fata tenaciter urgent?
Parcite: poſt patriam ſera ruina mea eſt.
At Diomedêæ potuiſſem pervius haſtæ
Sternere Sigæam pulverulentus humum.

UVA. BHSC. BU 06120

Tu quoque, Diva parens, (quid enim mihi pectora versas?)
Debueras soboli consuluisse tuæ.
Nunc plenus plenusque tui mea vota relinquam.
Heu ubi materni pectoris illa fides?
Dardana cur Tyrios tetigerunt lintea portus?
Post Trojam decuit dedoluisse semel.
Atque utinam Italiam monuisses esse petendam
Tunc cum è Rhœtêo litore cœpta fuga est.
Aut inimica Jovem flexisses fata rogando.
(Nec pater immitis difficilisve tibi.)
Aut saltem arsissem felicius. omnia ferrem.
Nunc tua sunt gnato dona pudenda tuo.
Tu quoque sanares tibi vulnera facta, Cupido!
Proditis adflictum proxima quæque caput.
Hac Tyrios mihi lege toros, germane, parabas?
Ille bonus fausti sponsor amoris ubi est?
Fœda quid exerces in fratrem spicula frater?
Verte tuas alio, sanguinolente, manus.
Hectora felicem, felicem morte Creüsam,
Ilion arsuræ cui rogus alta fuit!
Me quoque nunc utinam premeret cinis ille sepultum!
Vix poteram busto nobiliore tegi.
Et tamen haud luctor, Superisve vocantibus obsto.
Dî, precor, exsiliis sit modus ille meis.
Obsequio tumidos eludit navita fluctus:
Obsequio durum non male fertur onus.
Obsequio melius placantur numina; quàm si
Fata reluctando flectere sæva pares.
Ibimus, ô Superi, mandataque regna sequemur.
Sors mala sic vitæ tota sit acta meæ.
Tu quoque da veniam justo, Regina, timori;
Et cœlo domitas tradere disce manus.
Dî facerent, madidasque genas flentemque videres;
Oraque per curas attenuata suas.
Haud magis indolui, tunc cum nocturna Pelasgi
Pergama furtivâ diripuere manu.

UVA. BHSC. BU 06120

At tua nunc altos geminavit epistola luctus,
Vulneribusque novis ingeniosa fuit.
Desine lamentis lacerum divellere pectus.
Parce tuas lacrimas addere, parce, meis.
Neu mihi succense cœlestia jussa sequenti;
Invidiâ Superos exoneraque suâ.
Non tibi verba damus: testor pia numina, testor.
Juranti dubiam parce movere fidem.
Ipse mihi visus Cyllenius: ipse per auras
Detulit attonito jussa paterna mihi.
Ut dare verba velim, prohibet male sana volentem,
Et monet admissi me mea Troja sui.
Felices, quos non delicta domestica terrent.
Alterius noxâ qui sapit, ille sapit.
Ilion ô utinam numquam perjura fuisset,
Nec Superis pactas stulta negasset opes!
Staret Apollinei moles Priamêa laboris;
Et tibi jam de me nulla querela foret.
Ipsa vides instare Deos. conjurat & unda,
Nec patitur lentas imperiosa moras.
Æolus emittit Zephyros in vela ferentes,
Signaque mandatæ dat manifesta fugæ.
Ut mea Massylo tamen hæreat anchora portu,
Numina contemni num sua jussa sinent?
Sæva redundabit Jovis in nos ira nocentes:
Jamque aderit trepidis ultor ubique Deus.
Quid quod & imperium, quid quod Lavina sequenti
Litora Dî præstant, Ausonioque lares?
Quæ, precor, invidia est, si me fortuna meorum,
Ascanioque movet debita terra meo?
Si Tyrias arces, si regna precaria sperno,
Conjugis auspicio regna tenenda meæ?
Nec tamen adspernor. si quid modo credis amanti,
Hæc mihi vel patriâ carior ora meâ est.
Quid mihi cum regnis, si te, Regina, carerem?
Me miserum! tanti Troja nec ipsa fuit.

Non

UVA. BHSC. BU 06120

Non ego Sidonias arces, non celsa videbo
Mœnia, & aëriis tecta superba minis.
Felicem te sorte tua! me barbara tellus,
Me manet inculti forsan arena soli.
Me sudor, me bella manent. tibi regia parta est,
Regia divitiis invidiosa suis.
Ut mihi contingant tamen omnia, nostraque quamvis
Vota suos habeant ambitiosa Deos:
Vix tam felicis sperarim commoda terræ.
Non ita sunt fati candida fila mei.
Nunc te per thalamum, sociataque gaudia lecti,
Perque Deos patrios, hospitiique Deos,
Per merita obtestor, per tot benefacta; dolori
Contrahe vela tuo, contrahe vela meo.
Sic bene defuncti requiescant ossa Sychæi,
Lugeat & raptas frater inultus opes.
Sic nova Carthago Neptunia Pergama vincat.
Sic tibi det famulas fractus Iärba manus.
Sic tecum, Regina, diu soror Anna supersit,
Quæ, nisi te, nullâ digna sorore fuit.
Nil non fata regunt: fatorum certa voluntas.
Parce, precor, duros sollicitare Deos.
Ergo ego sum tanti, Superis ut, Elissa, repugnes?
Impia, si nescis, ah pietate tuâ es!
Cur tibi vota mori crudelia? desine cœpti,
Desine. plus justo dat sibi frena dolor.
Quo, miseranda, ruis? mora desperantibus apta est.
Utilius, quam tu, consulet illa tibi.
Quod si me tecum salvum cupis, excute luctus;
Ne trahat immeritos una ruina duos.
Interea proræ retinacula demit Achates,
Et jubet invisæ pandere vela fugæ.
Hoc tamen, hoc iterum nunc te, Regina, rogabo:
Sis memor Æneæ, sed magis ipsa tui.

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA II.

Ad Phœbum, de Caſpare Kinſchotio ex Academ. Leidenſi Hagam Comitum emigrante.

HAganas mea cura petit Kinſchotius umbras.
Phœbe, quid in ſola nunc, precor, urbe manes?
Ferreus hinc ſocias ſecum trahit ille Camœnas.
Non potes Aönio non comeſſe choro.
Te quoque cum ſociis quin jam trahet ille Camœnis:
At mihi vix poſthac conveniendus erit.
Sors melior tua ſorte meâ eſt. fac, ſancte Deorum,
Semper ab adflatu ſit novus ille tuo.
Illius ô lateri non divellendus adhære.
Utque velit, nequeat non meminiſſe tui.
Ex æquo fac ſurgat amor, fac ſurgat utrimque:
Curaque ſis illi, cura ſit ille tibi.
Tu quamvis media juvenem complectere in aula.
Huc, pater, ignotas non potes ire vias.
Intret Arauſiacos, ſed te præeunte, penates;
Ah quoties tritum jam penetrale tibi.
Huc duce te Clarias Zulichemius intulit artes,
Tempora Daphnææ cinctus honore comæ.
Ille, Palatino qui pectus Apolline plenum
Carmina Pierio digna furore facit.
Quem circumvolitant certatim mille Lepores,
Poſſidet injectâ quem Cytherea manu.
Sit longum patriis hæc aula domeſtica Muſis.
Non aliâ poterant dignius æde coli.
His adytis reſponſa, pater, certiſſima mittis.
Cyrrha, pater, nuſquam tam bene nota tibi eſt.
Ipſe Parens Patriæ, quo Belgica ſoſpite tuta eſt,
Victor it auſpiciis per fera bella tuis.
At tu fulminei Mavortia Principis arma,
Indomitamque fove terrificamque manum.

Pro

UVA. BHSC. BU 06120

Pro cauſa vigilet meliore ſagittifer arcus.
Sic ducis invictum, Pœbe, tuere caput.
Qualis in Actiaci bellabas gurgite ponti,
Cum tremuit pharetram Memphis aduſta tuam.
Tu ratis Auguſtæ columen, pater, arma Canopi
Irrita ridebas, femineamque Pharon.
Ridebas trepidâ Latios ſub pellice faſces,
Inque Parætoniâ Martia pila manu.
Ipſa caput belli meritis innexa catenis
Finiit inceſtos aſpide læſa dies.
Dux quoque ſed propriis uxorius occidit armis,
Victus Leucadio præda pudenda mari.
Nunc quoque, Phœbe, rates in Iberas verte pharêtram.
Non minus hæc Clariæ gens inimica lyræ eſt.
Muſa tibi victos Kinſchotia debeat hoſtes.
Sola triumphali par manus iſta duci.
Hanc voveo tibi, Phœbe, manum. nil terſius illa eſt.
Huic modo fac aliquem, fac, pater, eſſe locum.
Quod precor, omne ratum eſt. deus, en deus annuit omen.
Ille ſuum vatem conſpiciendus agit.
Tune, ô, quæ placuere mihi prius, Haga, tenebis;
Nobilis Haga armis, nobilis Haga togâ?
Tun' mihi cauſa mali? ſed enim, formoſa, caveto,
Ne tantis nimium luxuriere bonis.
Ah metuo blandas, quarum tibi copia, Nymphas!
Commodior Veneri nullus in orbe locus.
O nemus! ô ſaltus, habitandaque vatibus arva!
O juga, Pieriis vel potiora jugis!
Invideo vobis certe, juga. non mihi poſthac
Flexanimo luſus præleget ore ſuos.
Non lateri comes hærebit; viridemque per herbam
Illius adloquio paſcar, & ille meo.
Quicquid id eſt, patiar; ſi, quod fuit ante, manebit,
Phœbe, memorque mei; Phœbe, memorque tui.

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA III.

Ad Ioannem Fredericum Gronovium, ut observationes antiquarias edat.

INclyte Gronovi, cui tot veneranda Vetustas
Hactenus abstrusas larga recluſit opes;
Cui sua, luminibus non inspicienda profanis,
Pectora nudavit tota, Latina Venus;
Qualis Acidaliâ vehitur super æquora conchâ,
Ah Thetidi quantus Nereïsinque dolor!
Aut cum Gargareis Trojanæ vallibus Idæ
Laomedontêum constitit ante Parin,
Lenibus errantes Zephyris agitata capillos;
In viridi strophium pone jacebat humo.
At te curarum felicem, vindice quo nunc
Roma renascentes Martia jactat avos!
Cingere lauriferâ frontem, Tiberine, coronâ;
Tuque maritales, Ilia, pecte comas.
Detergant dominâ squalorem Naïdes urnâ;
Urna, pater, solitas munda ministret aquas.
Cur lateas nihil est. venerandos exsere vultus.
Exsere iõ flavum, jam redivive, caput.
Cernis, ut amissos Gronovius addat honores,
Donet & æterno, ceu prius, ire tibi?
Sic juvenes socero revocavit Phasias annos.
Illo non levius munere munus habes.
Jamque animas Latiâ tot majestate verendas
Semicremis spectes ora levare rogis.
Fallor? an ipsa mihi jam visa resurgere Roma est,
Et dea ruderibus celsior ire suis?
Altaque sidereâ Capitolia mole renasci,
Saxaque septeno relligiosa jugo?
Præcipue delubra Dei, quem colle Palatî
Proxima Cæsareis vindicat ara focis.

UVA. BHSC. BU 06120

Tot myſtas ſtupet ille ſuos, tot ſacra Camœnis
Nomina Gronoviâ convaluiſſe manu:
Dextra ſalutiferis quos non Epidauria ſuccis,
Non pater ipſe ſacrâ reſtituiſſet ope.
O anima, ô vatum certiſſima vita piorum;
Myſtica fax Cyrrhæ, Pieridumque ſalus;
Quas tibi poſteritas cumulabit candida grates?
Laudis iö quantum tam pia facta manet!
At tu ne dubita vigilatas promere curas,
Neu tenebris noctes abdere perge tuas.
Suggeſſit medicas jam quælibet ora papyros,
Nullaque inexcuſſa eſt bibliotheca tibi.
Non Vaticanæ carioſa volumina rupis;
Scrinia non quicquid Parthenopæa premunt;
Non quæ diſpoſitæ Medicêa per atria chartæ,
Aut Antenoreâ ſi quid in urbe latet.
Obtulit & veteres regalia munera libros,
Et quos præterea Gallia dives habet.
Publica quid differs etiamnum vota morando?
Quid premis immiti ſcripta polita manu?
Jam tibi, victuri ſpecimen juvenile laboris,
Statius in famam grande præivit iter.
Auſpiciis ceſſas cur tam felicibus uti?
Scæna rudimentis contigit ampla tuis.
Non valet, ut cupiat, plauſum tibi Fama negare,
Prodiga tam largâ quem dedit ante manu.
Ecce, procul lætum mihi Cynthius annuit omen.
Augurio certam jam dedit ille fidem.
Tu modo Pierios in lucem mitte libellos.
Hoc deus, hoc mecum poſtera turba rogant,

UVA. BHSC. BU 06120

ELEGIA IV.

Ad Constantinum Hugenium Zulichemium, Constantini Filium.

O Quem Pierius stupefactum misit in orbem,
Tot monumenta inter non moritura, pater;
Cuique animos finxit quævis ad summa capaces,
Ut magis assimilem se neget ipse sibi;
Quid juvat Heinsiacas te tollere carmine Divas?
Quid pretium curæ ponis, amice, meæ?
Deprecor invidiam. satis est placuisse, nec ultra.
Sæcula quam non sint candida nostra vides.
Sæcula præclaris conatibus invida, quîsque
Grande nefas Pæan, grande Thalia nefas.
Omnia Livori sunt pervia. Pythia Livor
Templa quoque irrumpit, Pieridumque choros.
Qui mihi cum Musis dos, Constantine, paterna est.
Venit ad heredem tota caterva suum.
Finge tamen meruisse (sed haud meruere) probari
Carmina nostra lyræ molle sonantis opus.
Parce, precor, tenerâ dum luxuriamus in herbâ.
Uberior laudum mox tibi messis erit.
Non bene conveniunt oneri nova colla ferendo:
Nec facit ad palmam, ni sit adultus, equus.
Jam ventura mihi est (vivam modo) firmior ætas.
Hactenus ardori frena neganda meo.
Scilicet Invidiam tunc irritabimus ultro,
Inque quiescentem quamlibet arma feram.
Pax mihi non tanti est ingloria: pax mihi tanti
Nulla, sine Invidiâ vivere ut ipse velim.
Hinc animos metire meos. petit ardua rerum,
Nec nisi victuras obsidet illa domos.
Livor iners, rumpare. licet fera tela minentur,
Marte suo qui te provocet, hostis adest.

UVA. BHSC. BU 06120

At nunc innocuos Elegeïa ventilet ignes,
Quodque legat tenerum Lux mea dictet opus.
Quæ vultum ingenio, vultum licet optima, vincit.
Hoc colit, huic totos datque dicatque dies.
Phœbe, tuam Leidam, patriam, pater, inſpice noſtram.
Ut mea Lux ſancti numine plena loci eſt!
Negligit, Hugeni, formam quoque. forma pudori eſt.
Nec de ſe ſpeculo credit iniqua ſuo.
At tua, quîs capiare, tibi ferat Haga puellas.
Hanc Amor, hanc legit mater Amoris humum.
Sed comtas pictaſque feret, minimeque Batavas.
Exſulat haud ullâ natus ab arte decor.
Simplicitas quin & vetus exſulat. elige quamvis.
Rara venuſtatis dote probanda ſuæ eſt.
Conciliatrici ſine pyxide rara placebit.
Ah pereat fuci, Juppiter, omne genus!
Scilicet Eoos hac lege ſubegimus Indos,
Solis in occiduam miſimus arma domum?
Hoc fuit, ignotas penetraſſe, Batavia, gentes?
Hoc, tibi tot domito parta tropæa mari?
Spernite, quæ ſapitis, peregrinâ merce probari.
Si qua ſibi pulchra eſt, hæc quoque pulchra mihi eſt.
Sordida dum ne ſit, veteresque imitata Sabinas.
Ingenuo facilis rideat ore nitor.
Addere nunc varios, nunc demere, turpe colores.
Quale tibi, Proteu, conveniebat opus.
Barbara tam fœdo capiatur Iberia ritu,
Et pudor in Mauras tranſeat iſte nurus.
Quæ ſtudet, & non eſt, populo formoſa videri,
Se lenocinio venditat illa ſuo.
Adde, quod enervant animos hac fraude viriles.
Pulchra coli modico corpora ſine ſat eſt.
Luxus iners vitium miſeros male perdit amantes,
Corporeis tantùm dum favet uſque bonis.
Quis Parin, aut Helenen Paridis, Menelaë, probarit,
Qui probet Andromachen Andromacheſque virum?

UVA. BHSC. BU 06120

Et tibi, quicquid habes famæ, ſine conjuge partum eſt.
Mole tibi tantâ vix repetenda fuit.
Quid facis, Atride? Pelopeïde ſegnis in aula
Non bene ſediſſes, ni bene rapta foret.
Tyndaris Hectoreo jaceat, Menelaë, cubili;
Crede mihi, ponent Dorica caſtra metum.
Hic quoque, qui nimium tibi conjuge geſtit ademtâ,
Martia belligeras vertit in arma manus.
Vertit, inornatæ dum pendet ab ore maritæ;
Ilia non comtos dum tenet Ida duos.
Et tamen OEnonen vatum deus ipſe petebat.
Nulla Helene tanti, Phœbe, futura tibi eſt.
Fama quid indomito tulit Hercule majus, & illo
Spumeus Ætolam qui terit amnis humum?
In Parthaoniâ capti tamen Evenine,
Ille acceſſurus Dîs licet, iſte Deus.
Comta quidem, ſed enim parcè quoque comta fuiſti,
Rapta per Herculeas Deïanira manus.
Auſa animis in bella viro comes ire paternis,
Sive tuis, Tydeu, ſeu, Meleagre, tuis.
Conjugis è gremio perituros ibat in hoſtes:
Quæque manu clavam traderet, uxor erat,
Perfidus ut deflexit ab hac Amor heroïna,
Lydaque Dircæo Nympha recepta ſinu eſt,
Deſidis amplexum dominæ tulit; ille, ferenti
Sarcina cui cœlum, ſarcina terra fuit.
Magna Jovis gratare tibi ſoror Hercule facto.
Pellicis ignavâ comitur ecce manu.
Nunc ubi pax rerum eſt, ubi nunc tremor ille ferarum?
Juppiter agnoſcat vix genus ipſe ſuum,
Amphitryoniade, damnoſas excute flammas;
Aut tibi vaticinor jam periture necem.
Ingenium comtis, Hugeni, vile puellis.
Ne placeat, ſolo corpore ſi qua placet.
Di bene, laſcivâ mea Vita quod exſulat Hagâ!
Fallor? an ad talem jam facit illa locum?

Deli-

UVA. BHSC. BU 06120

Delicias nuper quales mihi callida fecit!
Ut patriæ ritum non male docta suæ!
Oscula sive alio, seu me dedit illa magistro,
Ah data quam cuperem tam bona nulla mihi!
Profectum nimis ô, mea Lux, tibi. parce doceri
Væ mihi! discipula sum minor ipse mea.
Si sapis, incipito, sed enim sapis, inclyte vates;
Tu quoque nativa simplicitate capi.

ELEGIA V.

Cum Iohannes Erpenius Thomæ Fil. de Romuli Principatu politice disputabat.

SAcra facit Musis Erpenius: ausa secundent
Ominibus Pæan Pierideſque suis.
Tuque puerperio capitis prognata paterni,
Huc, dea, spectatum, si sapis, ipsa veni.
Res tua nunc agitur: cœlo descende relicto.
Gloria, si nescis, non levis ille tibi est.
Cerne, verecundo genitorem ut præferat ore?
Hoc, dea, cognitius vix tibi nomen erat.
Ille, pererrati spoliis Orientis opimus,
Qui patriæ ignotas tot reseravit opes.
Quicquid palmiferâ Solyme meditata sub umbrâ est,
Quicquid odoratâ messe beatus Arabs;
Sacraque devexit Nabathæo primus ab orbe,
Ora Palæstinæ gurgite lotus aquæ.
Adde, quod in sobolem (ne mortuus esse putetur)
Virtutis meritum transtulit omne suæ.
Scilicet æternæ qui nunc cunabula gentis,
Et Capitolini vindicat orsa Jovis:
Mœniaque evolvit trabeato structa Quirino,
Fataque consortis sanguinolenta Remi.
Utque novos Tatius, sed non impune, Quirites
Noluerit socii gaudia ferre tori.

UVA. BHSC. BU 06120

Quid prohibere paras thalamos, odioſe, jugales?
Strage, miſer, quantâ barbara facta lues!
Ruſticitas in Rege ſcelus. procul exeat aulâ,
Si quis inaccenſum Cypride pectus habet.
Romule, cur metuas, ne ſit tibi præda rubori?
Si ſapis, utendum nunc tibi jure tuo eſt.
Juſta negat Tatius: fas cogi juſta negantem.
Quam tibi conceſſas mox velit ille nurus!
Quod rapis invitas, nimium ſapienter agebas.
Crede mihi, tanti fœda repulſa fuit.
Nunc etiam Erpenio tua judice cauſa probatur:
Audiat OEbalius quamlibet ipſe Titus.
Magne pater, laudes admitte benigniter illas.
Hæc pietas curâ digna, Quirine, tuâ eſt.
Sic, precor, aſſidue cœlo manifeſta ſereno
Cæſaries caſtæ fulgeat Herſiliæ.
Sic, precor, invictos genitor tuus ille Batavos,
Ut facit, Heſperio ſemper in hoſte juvet.

ELEGIA VI.

Ad Henricum Brunonem, de luſu virginum Batavarum in glacie.

HEinſiadæ niſi forte tui te cura reliquit,
Parſque ſodalitii nulla putande mei es;
Flebile dilecti fatum miſerabere vatis,
Languida, ſi dicam, nunc quoque membra traho.
Quodque mihi languore malum præſentius ipſo eſt,
Pieris ad ſolitam non venit ulla chelyn.
Obtudit ingenium torpentis inertia venæ,
Corporis & vitio mens hebet ægra ſui.
At tibi ſemper adeſt in vota vocantia Phœbus,
Et bibit aſſiduas aure favente preces.
Te domus Aönidum Zulichemia, candide Bruno,
Numinis expertem non ſinit eſſe ſui.

Ut

UVA. BHSC. BU 06120

Ut Pæan jam desit, habes vel in hospite Phœbum.
Nil valet hoc salvo Cyrrha negare tibi.
Quod nisi degeneras tam claris incola tectis,
Laudis inexpletæ te quoque torret amor.
Nec male tentatæ jam succedere Camœnæ:
Jam populo plausus dante tulere suos.
Perge, decus juvenum, Famæ nova cura Batavæ,
Altius humanâ pectora ferre viâ.
Perge, precor. sic sacra piis domus annuat ausis;
Annuat & sacræ sic pater ille domûs.
Illa anima immensi, quaqua patet, ætheris hospes
Scilicet ignotum nil dabit esse tibi.
Seu stat Arausiaco concussas fulmine moles,
Martiaque invicti condere gesta ducis;
Nempe comes domino bellanti semper adhæsit,
Sanguineam quoties stravit Iberus humum.
Seu libet Idalios memorare Cupidinis arcus;
Hic quoque, si nescis, non rude pectus habet.
Quicquid ages, quocumque vagam moderabere pinum,
Diriget adflatu vela secunda suo.
Felices, quibus ire datum est per inhospita Pindi,
Inque parum trito figere calle gradum!
At mihi vel primo caligant lumina clivo,
Succidui lassum deficiuntque pedes.
Nunc quoque torpentem geminat rigidissima morbum,
Quoque minus vigeant pectora, præstat hiems.
Et tamen invitum capiunt fera frigora vatem,
Atque aliquâ saltem se mihi parte probant.
Aspice constrictum brumali compede Rhenum,
Languidus ignavis hic ubi repit aquis.
Ecce viri, mixtæque viris simul ecce puellæ,
Mobile duratas ut terat agmen aquas.
Lubrica crispantur rapido talaria cursu,
Ceu Gortyniacâ spicula torta manu.
Palma tamen meritis donetur prima puellis:
Prætereunt illæ, cum voluere, viros.

UVA. BHSC. BU 06120

Ecce procul, procul ecce, volatilis alite motu
Ludat ut instantem virgo superba procum.
Stulte, sequi frustra dominam conare relictus.
Stulte, nimis tardo non adeunda tibi est.
Vota quid adfectas fugitivam vana puellam,
Pomaque Tantaleâ non capienda manu.
Irritus admissam sic te, Penêi, premebat,
Qui deus Aönium pollice verrit ebur.
Talem credibile est Schœneïda Nonacrinen
Fulmineo juvenes præteriisse pede.
Delia venantem sic torruit Oariona,
Concita Partheniam dum dea lustrat humum.
Si tua, Procri, soror Boreæ sic visa fuisset,
Haud erat Odrysio præda futura deo.
Ah miseri! ignosco vobis, quicumque caletis.
Ipsa Venus sævis edita fertur aquis.
Quod nisi numen iners, rigidâ nisi lentior undâ est,
Rhenus in hibernis æstuat ipse vadis.
Et modo præcipitesque pedes, tunicasque fluentes,
Pectoraque audaci pæne retecta Noto,
Et modo sub tunicâ miratur crura reductâ.
Hinc quoque correptum Melaniona ferunt.
Parce, pater, teneras ah lædere parce puellas:
Prædaque de tanto sit grege nulla tibi.
Sicelis Elêis si capta Arethusa sub antris;
Ilia sic crimen Martia, Thybri, tuum est.
Corniger & Tyriam rapuisse Numicius Annam
Dicitur; ut tectis cessit, Iüle, tuis.
Vix Cyrenæi regalia limina Batti
Liquerat, & profugæ mitia regna rati;
Excipit ejectam Latiâ dux Dardanus orâ,
Et lare navifragam muneribusque fovet.
Quam freta servarant, crudelior abstulit amnis.
Scilicet hoc miseræ bis periisse fuit.
Ah quid Pygmalion, ah quid Gætulus Iärbas
Sævius ausuri, si caperetur, erant?

Ar

UVA. BHSC. BU 06120

At tu, Rhene, fave popularibus, ô bone, Nymphis.
Hoc, pater, in longum sic capiare joco.

ELEGIA VII.

Ad Lisam ægrotans.

INdue funereâ feralia limina taxo,
Membraque pullatâ squalida veste tege.
Deliciæ, mea Lisa, tuæ, tuus Heinsius ille,
Ille tuus vates, ah, mea vita, fuit!
Nil pia Minôum tetigerunt vota tribunal.
Non exorandos parce rogare Deos.
Cur doleas, nihil est. noli, carissima, noli
Funeris invidiâ fata gravare mei.
Siste pios gemitus. aliâ tentabimus arte
Vivere; quod nobis ferrea Parca negat.
Est aliquid, doctum monumentis ire per orbem.
Hac mea pensabo funera dote tibi.
Sic melius juncti seros numerabimus annos.
Juris in hoc Lachesis par habitura nihil.
Securum quid vana tui Proserpina terres?
Præcipitata licet nil mihi fila queror.
Ocius umbriferam jam, navita, solve carinam.
Non ego Tænarios deprecor ire lacus.
Tempora qui tacitæ transegit inertia vitæ,
Horreat extremum devoveatque diem.
Quod satis est, vixi. non me mea nesciet ætas,
Nec vehet ignotum Styx taciturna caput.
Scilicet obtinui, quicquid sperare modestæ
A Jove tam facili sustinuere preces.
Indolis exhibui mundo documenta paternæ,
Pignoraque Heinsiacæ non dubitanda domus.
Testor Hyantæas mihi præsentissima Divas,
Et fidibus vatis numina prona sui.
Irrita votorum, Superi, pars nulla meorum est.
Sic premat extinctum ne mihi terra caput.

Adde

UVA. BHSC. BU 06120

Adde quod & lacrimæ ſolamina magna relinquunt,
Adfecto mea Lux quas dedit uſque mihi.
Tum quas credibile eſt oculo uberiore daturam,
Cum premet abruptam jam mihi Parca colum.
Ipſe ego vix aliter raptâ, quod abominor, illâ
Funere tam caro condoliturus eram.
Quin fomenta dedit, quin conſolata jacentem eſt;
Finxit & admotâ languida membra manu.
Ergo ego ſuſtineam dominâ plorante ſubire
Elyſios campos Elyſiumque nemus?
Stamina crudeles properata retexite Parcæ.
Liſa parentatrix invidioſa mihi eſt.
Ne, precor, hâc noxâ cineres onerate quietos.
Tune ô, tun' de me ſic mea vita, doles?
Ah ſat erat nimiumque, ſemel vidiſſe gementem.
Hei mihi, quod voto triſtior illa meo eſt!
Tu quoque funereis, genitor miſerande, verendos
Exſequiis gemitus qui pia juſta dabis;
Parce, precor, ſobolique parens gratare peremtæ.
Non trahar ad Stygium degener umbra forum.
Dî bene, quod tantæ fœdatum crimine labis
Gnoſias intrantem non aget urna reum!
Obvius ipſe ſui Rutgerſius ora nepotis
Induet aſſuetâ caraque colla manu.
Sic te tabeſcat maleſana ſuperſtite longum
Invidia, & titulos ploret inulta tuos.
Cauſaque ſis illi multum renovanda doloris;
Adjicient annos dum tibi fata meos.
Famaque continuet ſolitâ tibi plaudere pennâ;
Laudibus interſis & diuturne tuis.

ELEGIA VIII.

Ad Fontes Spadanos.

SPadanæ rupes, & rupibus inſita quercus,
Umbra fatigato quercus amata mihi,

Quæ-

UVA. BHSC. BU 06120

Quæque ſalebroſis trepidantes undique ſilvis
Noxia perſpicuæ fata domatis aquæ;
Voſne relicturus placidæ ſua gaudia ſedes
Heinſius in patriam juſſus abibit humum?
At certe rediturus abit. torquebitur abſens
Erepti Genio ſaucius ille loci.
Vos oculis animoque atque altis ſenſibus ille,
Pectore vos memori nocte dieque feret.
Donec ad innocuas dent fata recurrere ſedes,
Et tangam reduci limina nota pede.
Hunc propera mihi, Phœbe, diem. ſic ne tibi poſthac
Evius intonſæ certet honore comæ.
O ego Tænarii quoties penetrale tyranni,
Et Phlegethontêos dictus adiſſe lacus!
Reſpexere loci miſerum pia Numina vatem.
Jam conclamato reddita vita mihi eſt.
Currite ïo poſthac mihi ſtamina parcius oro;
Et preme ſacrilegam, Parca profana, manum;
Molliaque è niveo mihi vellere texite fila,
Dî, precor; & vitæ fuſa novate meæ.
Ah ſatis, invalido miſeram periiſſe juventam!
Nunc colus auſpicio candidiore fluat.
Ergone lux ſperanda, Dei; qua debita vobis
Dona reus voti perſolüenda feram?
Lux aderit. niveam jam nunc mihi paſcite vaccam,
Cui premat auratum frondea vitta caput.
Illa ſecurifero per humum ſternenda ſub ictu
Tinget odoratos multa cruore focos.
Jamque aderit mea Liſa piæ pars maxima pompæ;
Raptaque ſollicitâ conſulet exta manu.
Vili animâ pro noſtra anima tibi, Parca, litamus;
Dignior hæc Stygio cedere præda Jovi.
Quid cum barbarico cultis Acheronte poëtis?
Indociles citharæ ſuſtinet ille Deos:
Quos nec Apollineus fidibus deliniit Orpheus.
Nil facit ad ſurdas barbitos ulla fores.

Quid

UVA. BHSC. BU 06120

Quid mihi cum tenebris? inimicæ vatibus umbræ.
Sidereum Phœbi gens amat illa jubar.
Phœbus inaſpectum, quamvis ſibi cuncta tuenti,
Tænariæ Lethes non negat ipſe chaos.
Haud tamen Elyſium quondam nemus ire recuſem.
Nunc mora, dum valeam corpore, parva ſat eſt.
Hanc quoque cur voveam, mea Lux facit. obſtat ituro:
Fataque tardantes injicit ægra manus.
Certa mori miſero quoties mihi vota fuerunt!
Excutit hæc lacrimis fortia vota piis.
Nec mora; jam lacrimis ſuperaddit amabile murmur:
Ferree, me ſalvâ ſunt tibi vota mori?
Parcite, Di Stygii, precibus dare pondera noſtris.
Vix ego, qui peterem talia, ſanus eram.
Ah melius, bona fata, ſimul vivamus uterque!
Ipſe legam canos illius, illa meos.
At vos ſulphureo rorantes gurgite ſilvæ,
Veſtrone Heinſiades munere ſoſpes erit?
Dilecta ô ſalvete mihi loca. vos ego certe,
Pectore vos fixi non abitura meo.
Sive iterum optatis admittar ſedibus hoſpes:
Seu comperta ſat eſt vos ſemel eſſe mihi.

ELEGIA IX.

Hymnus Bacchi.

ANnua venerunt genialis feſta Lyæi.
Huc ades in laudes, Bacche jocoſe, tuas.
Nil equidem, quod luce, pater, te dignius iſtâ
Poſſit agi, video. tu modo, Bacche, fave.
Pocula nunc agili perſultant agmine menſam,
Cordaque luxuriant numine tacta tuo.
Nos quoque, Bacche, tuo nos numine, Bacche, calemus.
Blande pater vini, blande repertor ades.
Plurima cum ſubeant laudum argumenta tuarum;
Quod mihi principium, quis mihi finis erit?

Num-

UVA. BHSC. BU 06120

Numquid, ut ereptum Semelæa Juppiter alvo
Te pius è medio ſuſtulit igne pater?
At te terribiles cingebant fulminis alæ,
Magne nepos Cadmi, ſulphureumque jubar.
Lambebat tibi flamma comam; nec pervius igni
Verticis innocuè luxuriabat apex.
Sarcina mox femori latuiſti inſuta paterno.
Unde etiam nomen, Bacche bimater, habes.
Sancte pater, faveas. neque enim tua geſta canentem
Numinis expertem me decet eſſe tui.
Neu mihi ſit crimen, per laudes ſurgere tantas,
Quas toties faſſa eſt ipſa noverca prius.
Ecquis nam ſe, ſancte, tibi componat, & ecquis
Anteferat Superûm? proximus ille Jovi es.
Te trux Enceladus flammanti ſubditus Ætnæ,
Enceladus ſuperas auſus inire domos,
Te pulſata, pater, moribundo Phlegra Typhœo
Senſit, & Alcyoneus, terrificuſque Gyes.
Porphyrion ferus ille tibi, tibi Rhœcus & Otus,
Oromedonque ingens, ſuccubuitque Mimas.
Macte, pater, metuende manu. tibi Juppiter ipſe
Nomina victori vera, Thriambe, dedit.
Vitiſator Lenæe, tui ſervator Olympi,
Cui Mars fulminea ceſſerit ipſe manu.
Funde Maronéo ſpumantia pocula rore.
Pocula funde, pater, ſed bene plena tui.
Te quoque terrigenis animoſum, Bacche, ſubactis
Ter cyathos ternos continuaſſe ferunt.
Obſeſſæ arebant ſpiſſo tibi pulvere fauces.
Decolor hoſtili ſanguine thyrſus erat.
At tibi potanti genitor procul omina lævo
Terna favens tonitru, fulmine terna dedit.
Magne Pater Patriæ, ſi quid pia vota valebunt,
Per ſervata tibi ſidera ſemper eas.
Victa tuos decorat Gangetica terra triumphos.
Inde tibi currum nunc quoque lynces agunt.

UVA. BHSC. BU 06120

Deriades te, magne pater, te sensit Orontes,
Nomina letali cum sua cessit aquæ.
Ibat ovans animis & adustos horrida vultus
India belligerum tota secuta ducem.
Quæque unguentatos nutribant Bactra capillos;
Bactra sagittiferâ conspicienda manu.
Undique gemmato radiabant tegmine mitræ;
Undique & auratis arma superba notis.
Pro te Dictæa ensiferi Corybantes ab Ida
Turba ferox stabant, Bassaridumque manus.
Ipse neci victor thyrso metuente domari
Deriadæ generum Deriadenque dabas.
Indicus abjectis exercitus ilicet armis
Regis ab interitu terga dedere sui.
At tibi de spoliis Nabathæi, Bacche, triumphi
Thura suis mystæ rite dedere focis.
Ivit in exemplum pietas memoranda tuorum.
Scilicet hic Superis nunc quoque gratus odor.
Regna quid Odrysii memorem concussa Lycurgi,
Et domitum auspiciis Strymona, Bacche, tuis?
Juste tui vindex; tibi enim, tibi perfidus ille
Morte dedit pœnas, truncus utrumque genu.
Vix bene pampineas succiderat undique vites,
Sacrilegæ dominum cum petiere manus.
Cæde jacet meritâ. te successore superbæ
Non hoc Bistoniæ terra vel ipsa neget.
Quid consanguinei dignissima præda furoris,
Aöniâ Pentheus dilaniatus humo?
Et qui Tyrrheno mutatis gurgite nautis
Iönias delphin nunc quoque sulcat aquas?
Fixa ratis mediis, ceu saxea, fluctibus hæsit,
Numinis ad nutum stare coacta tui.
Pampinus intortos obnubere fronde rudentes
Ilicet, & mediam cingere visa ratem est.
Ipsi autem inductis variati tergora squamis
Præcipites alto desiluere foro.

UVA. BHSC. BU 06120

Victor iõ, ter, victor iõ! tibi, corniger Evan,
Terra parens fracta est, India fracta tibi.
Magne Deûm, salve, neu se tibi misceat unda.
Nil facit ad vires degener unda tuas.
Tu mentem exhilaras, exsultantemque recludis.
Tu procul ignavâ pectora tollis humo.
Tecum Simplicitas, tecum Candorque Salesque,
Tecum nata Fides innocuusque Lepor.
Te sine victa fugit facundia, magne Thyoneu.
Te sine libertas pectoris illa jacet.
Curarum domitor, curarum blande subactor,
Grata quies animis, candide Liber, ades.
Tu quoque sensisti Venerem, pater: & tibi sæpe
Pectore in intrepido vulnera fecit Amor.
Testis Hymen Hymenæus erit, tibi carus amanti.
Unde novis nuptis nunc quoque dexter adest.
Quique tibi crines nodo viridante revinctos
Cissus adhuc memori, candide Bacche, premit.
Et tu, Sangarius Phrygiis quem vidit in arvis
Mutatum croceas, Ampele, vite comas.
Tum Beroë, jungenda toro tibi, Bacche, jugali;
Rapta foret patruo ni miseranda tuo.
Sed tamen ante omnes, quæ neptis Agenoris alti
A tibi cognatâ Gnosias orta domo est.
Illam Dictæis avectam perfidus oris,
Perfidus in sola liquerat hospes humo.
Liquerat: & profugus nocturnæ litore Diæ
Præcipiti dederat vela ratemque Noto.
Illa quidem clamabat, Iõ! quo, perfide Theseu,
Perfide, quo properas me sine? siste fugam.
Hactenus; & lacrimæ commendavere querentem.
Pulsabat niveos unda marina pedes.
Ecce, parens Evan superato victor ab hoste,
Inque triumphali tigride vectus adest.
Pone sequebantur Satyrorum pota juventus,
Et blæsæ nimio Thyades ora deo.

UVA. BHSC. BU 06120

Non ille invidiam sceleris tulit. utque videbat,
Desilit. ætherium litora movit onus.
Et, Quonam, miseranda, dolor? quid Thesea clamas?
Ecce tibi Theseus, ecce maritus adest.
Dixerat: in currus è litore sustulit aureos.
Verba fides sequitur, Gnosia; nupta deo es.
Nunc quoque nocturno spectabilis æthere fulges,
Et regis incertas Cressa Corona rates.
Hic ubi, Cecropiis ah invidiose colonis
Icare, non meritæ præmia mortis habes.
Erigoneque necem nimium dolitura paternam,
Nec procul à dominâ Mæra notanda suâ.
Tu cœlum meritis, tu terram Bacche, replesti.
Illa tibi segetes debet arata suas.
Primus inexpertam docuisti findere terram;
Primus inexpertâ spargere semen humo.
Te colit inde suum Mareotica Memphis Osirin,
Dum quatit attonitâ tinnula sistra manu.
Tu populis leges, tu primus jura dedisti.
Debuit officiis hoc quoque terra tuis.
Nec Phœbi invidia, aut Cereris moveare, memento.
Vindicet hæc partes, vindicet ille tuas.
Callida Triptolemo fruges tibi, Bacche, repertas
Quid quod in Actæam spargere jussit humum?
Nec tamen ipsa negat. nam cum furialis Eleusin
Rite colit Cererem, te quoque rite colit.
Nec male cum Phœbo tibi convenit. unus utrique
Mons sacer, Aönii quem rigat humor equi.
Nec Deus æternis præsentior ille poëtis
Te, pater; aut populo notior ipse suo est.
Quo feror ulterius? quo me, pater, abripis ultra?
Jam stupet ad laudes saucia lingua tuas.
Da calicem mihi, Bacche, tuum, mitramque virentem,
Nebridaque algenti quæ mihi membra tegat;
Et, qui sustineat titubantia corpora, thyrsum.
Sed capiti serva cornua sola tuo.

UVA. BHSC. BU 06120

Deprecor hoc unum. vix ſunt tua cornua, vix ſunt
Munera temporibus commoda, Bacche, meis.
Vota tamen tibi, magne parens, iteranda ſuperſunt.
Legifer Inôæ nate ſororis, ades.
Siſte merum mihi, ſiſte, puer. quid, lente, moraris?
Nil mihi cum lymphâ. tu modo ſiſte merum.
Quid cunctare, puer? quid inania pocula Baccho,
Lente puer, ceſſant? arida lingua ſiti eſt.
Magne pater Nyſeu, ſeu Liber & Evius eſſe,
Sive magis Bromius Nyctheliuſque cupis;
Quod ſi rite, pater, tibi ſacra peregimus olim;
Nunc mihi lenis iö, nunc faciliſque veni.
Membra tremunt, titubantque mihi, nutantque, labantque.
Bacche, vacillantem fac moderere pedem.
Quid feſſum choreis, Lenæe bicorniger, urges?
Quo rapis ignavum? quid tibi dulce mei?
Evœ! quo properas? pater, evœ, Bacche, quid inſtas?
Quid tibi vis, Eleleu? quid, Dionyſe, tibi?
Iraphiota, Phanes, Pæan, Bryſêe, Sabaſi,
Baſſare, Lycnita, quid mihi corda quatis?
Quo tendis, Dithyrambe? quid, indetonſe Thyoneu,
Pectoris obſtructas concutis uſque fores?
Parcius attonitum, pater, ô pater, obrue vatem;
Neu preme trux toto corda ſepulta Deo.
Sic tibi flexipedes obnubant ora corymbi
Semper, & inſtabilem fulciat haſta gradum.
Sic tibi purpurea cingatur nebride pectus;
Mitratuſque ſacro vertice ſurgat apex.
Sic perfuſa ſuo titubent tibi membra liquore;
Muneribus madeas &, pater, uſque tuis.
Non ego Deriaden inimica claſſe ſecutus
In te ſigna ferox barbara, Bacche, tuli;
Myſticave irrupi ſacraria. non ego favi
Sive tibi, Pentheu, ſive, Lycurge, tibi.
Fallor? an inſano reboat clangore Cithæron?
Cymbala terrifico quis quatit iſte ſono?

UVA. BHSC. BU 06120

Quis procul ille ſenex, pando qui nutat aſello,
Et ferula lentos increpat uſque gradus?
Hinc agiles Satyri cum nubigenis Centauris,
Inde leves thiaſos ebria Mænas agunt.
Ecce, vacillantes adducunt orgia Myſtæ.
Cedite de media, turba profana, via.
Ciſtaque nocturnis & vannus conſcia ſacris
Pone jacent terræ, nec procul inde cadi.
Quid loquor? aut ubi ſum? quo pectus inhorruit œſtro?
Attonuit mentem quis mihi, Bacche, furor?
Evœ! quo rapimur? viduatam frondibus haſtam
Baſſaris indomitâ concutit, ecce, manu.
Evœ! jam ſparſis per marcida colla capillis
Conjiciet thyrſos in mea terga ſuos.
Quo fugiam, Lenæe? tuum, precor, eripe vatem.
Verſibus ô poſthac ſic celebrere meis!

Amice Lector, ſequentes duas Elegias dicendi charactere multum differre à ſuperioribus, facile, ni fallor, per te deprehendes. quod ſtudio tamen & data opera factum à nobis, ignorare te nolui.

ELEGIA X.

Fabula Eurydices & Orpheì, ad Danielem Fannium.

ETſi longe aliis agitatum pectora curis,
Atque adeò Aöniæ vix memorem citharæ
Terra Caledonio me detinet hoſpita tractu,
Heu procul à Batavis diſſita limitibus!
Limitibus Batavis: ubi cærula Nereïne
Litora contiguo pulſat adeſa mari;
Non tamen idcirco, rerum dulciſſime Fanni,
Invia mœrori pectora noſtra putes:
Qui ferus exſternata malis tibi corda perêdit,
Dum miſer abſumtæ fata gemis dominæ.

Quamne

UVA. BHSC. BU 06120

Quamne tuis longe complexibus invida raptam
Perſephone campos egit ad Elyſios?
Non ita Hyperboreis me Caſpia cautibus urſa
Edidit, aut ſaltu tigris Achæmenio;
Dirave navifrago ructavit ab ore Charybdis,
Ut mentem his nequeam comminui lacrumis.
Jamque adeò tua me aſſidue lugentis imago,
Et mœſti facies pectoris illa ſubit.
Talis & Iſmario Eurydice plorata marito eſt,
Quoi niveum fixit dente colubra pedem.
At vates, vates lugebat compare rapta,
Luget ut amiſſum fida columba marem.
Illum flexanimis ſociantem carmina nervis
Portitor ipſe Erebi, tergeminuſque canis,
Illum Tænario recubantes limine Parcæ,
Atque impexa comas Eumenis obſtupuit.
Ipſe parens olli Saturnius adſurgebat,
Ipſa tribus formis conſpicienda Hecate.
Ille etiam Rhadamanthum & fas inamabilis Orci
Carmine pacatum dicitur iſſe pio.
Plorabant umbræ Phlegethontides. Æacus ipſe,
Ipſe, licet flecti neſcius illecebris,
Lumina turbato lacrumantia pollice terſit,
Et dedit Iſmariæ pondus adeſſe preci.
At nimium accepta gaviſus conjuge vates,
Legis & infernæ non memor, Eurydicen,
Eurydicen reſpexit amans, & blanda moranti
Brachia nequicquam pôrxit. at Eurydice
Heu miſerum vatem non auditura reliquit,
Teſtantem unanimi fœdera conjugii.
Terque prehenſabat, terque Eurydicen prenſantis
Lubrica fraudatâ diffluit umbra manu.
Mox nemori Elyſio & Tænariæ convalli
Redditur heu flexis illa retro pedibus.
Quid tibi nunc proſunt pia carmina? quid, miſer Orpheu,
Illa tuam toties ſaxa ſecuta chelyn?

UVA. BHSC. BU 06120

Tres illum Stygio perhibent in margine noctes,
Noctibus & ternos conseruisse dies.
Irrita dum surdo jactantem carmina Porthmeo
Tænariis Pluton arcuit ipse adytis.
Tum vero externatus amans, mentemque dolore
Percitus attonito palluit ora gelu.
Jamque ferit manibus trux pectora, jamque citatus
Thracia funesto pervolat arva pede.
Ille & perpetibus Superos damnare querelis,
Et facere ingentem Persephonæ invidiam.
Nec jam aut dilectæ citharæ memor aut chordarum,
Unam voce refert ah miser Eurydicen.
Ismaros Eurydicen & Athos late geminabant,
Eurydicen Hæmus, Eurydicen Rhodope.
At non Eurydice misero respondet amanti.
Surdior Edonis cautibus una silet.
Eurydicen clamabat adhuc, cum Mænades ecce,
Mænades Ogygii pectora plena dei,
Rauca Mimalloneo quatientes cymbala ritu,
Cum thiasis Satyrûm Bassaridumque choro.
Ismara Nysæo complerunt arva ululatu;
Fataque plorantem comparis usque suæ,
Undique collatis petierunt Orphea thyrsis,
Orphea sacrilega diripuere manu.
Tum quoque semianimi caput à cervice revolsum
Nomine in Eurydices vix tacuisse ferunt.
Illinc Elysiis exceptus sedibus heros
Nunc caram tuto respicit Eurydicen.
Tu quoque, Fanniade, nimios exclude dolores,
Ne paria Orphêis fata miser subeas.

ELEGIA XI.

Eadem Fabula Eurydices, ad Lygdamum.

NUmquam ergo, numquam raptæ, miserande, maritæ
Aspera cessabis, Lygdame, fata queri?

Omnia

UVA. BHSC. BU 06120

Omnia si tentes, crudisque doloribus instans
Continues altam, Lygdame, tristitiem;
Num tamen Ismarium superaveris Orphea flendo?
Orphea, Tænariæ cui patuere fores?
Nonne audita tibi est Rhodopææ gloria gentis,
Quam pater è turba Phœbus Hamadryadum
Selectam thalamo gnati amplexuque dicarat?
Sed non ulla manent gaudia firma diu.
Illa deo geniti thalamis animosa mariti,
Illa decus ruris, illa decus nemorum,
Occidit icta pedem calcatæ dente colubræ.
Occidit, & caro conjugis in gremio
Procubuit moribunda, & vultibus illius hærens
Castam exhalavit deficiens animam.
At miserandus amans, viduatus conjuge cara,
Intempestivis usque vacat lacrumis.
Olli & Tænarii superatum limen Averni est,
Victaque flebilibus Persephonea modis.
Olli etiam superas conjux revocata sub auras.
Heu felix! si non prævius Eurydicen
Respexisset amans dumoso in calle morantem.
Respicientis enim protinus ex oculis
Eurydice, nec jam Eurydice, prærepta mariti est,
Umbraque trans Stygios rursus adacta lacus.
At miser heu vates, bis jam viduatus, amicæ
Non expectato comparis interitu,
Mutus & attonita percussus mente pependit,
Victima ut æratâ tacta bipenne stupet.
Pone chelys, jam pone lyræ sua fila jacebant;
Nec testudineum dextra movebat ebur.
Ut dolor erupit, furiata mente citatus,
Eurydice, Eurydice, rupibus Ismariis,
Eurydice, Rhodopes in cautibus, Eurydice, Hæmo,
Omnibus inclamat, Eurydice, scopulis,
Heu quis præripuit mihi te Deus? heu quis amantum
Gaudia crudelis tam cito dissoluit?

UVA. BHSC. BU 06120

Eurydice, misera Eurydice, Eurydice heu bis rapta,
Non interruptis planctibus ingeminat.
Responsabat Athos, responsabatis & Hæmi
Culmina. at Eurydice rupibus Ismariis
Jam procul, & longe Rhodopæis cautibus ibat.
Jam procul & caro conjugis à gremio,
Addita Tænariis convallibus inter opacas
Elysiæ sedes ibat amans silüæ:
Sæva nec audibat miseri lamenta mariti.
Ille autem assiduis questibus usque favens,
Eurydicen poscebat, at Eurydicen poscenti
Dira supervenit Mænas, & Ogygii
Plena dei vatem jactatis undique telis
Non exauditum conficit. ille tamen,
Ut jacet, heu terræ raptos immurmurat ignes.
Dumque aliquid miseræ restat adhuc animæ,
Rursus amans, & rursus amans iteravit amicum
Nomen, & Eurydicen tunc etiam ingeminat.
Lumine nox donec jam caligante suborta
Intercepit iter vocis, & Eurydices
Abstulit invito nequicquam nomen ab ore,
Cum vita nomen abstulit Eurydices.
Sunt quoque, qui citharam domini post fatæ peremti
Te, Eurydice, Eurydice, sæpe iterasse ferant.
Tu quoque ab Orphêis edoctus, Lygdame, fatis,
Humectas lacruma parce madere genas.
Fer potius nullos admittere pectore luctus,
Quam miser Orphêo dilaniere modo.

FINIS JUVENILIUM ELEGIARUM.

UVA. BHSC. BV 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

JUVENILIUM

LIBER ALTER,

Varia diversi argumenti complexus.

UVA. BHSC. BV 06120

UVA. BHSC. BU 06120

In Marchionem Pisanium, prælio Nordlingano fortiter dimicando occumbentem.

CUm consanguineam gemuit Nordlingia cladem,
Illud opus dextræ, Martie Celta, tuæ;
Ibat inauditis in bella Pisanius ausis,
Perque hostem innumera strage parabat iter.
Jam dextrum urgebant inimici Teutones agmen,
Cœperat & retro cedere Gallus eques.
Ille autem: Sta, prona fugæ, sta, fœda juventus.
Quis furor, aversos præcipitare gradus?
Me saltem, me bella, viri spectate gerentem.
Pro pudor! armatas sic dare terga manus?
At non me dantem Germania terga videbit.
Hostis id haud parvo jam superatus emat.
Possum, Fata, mori; si vincere posse negastis.
Irrita pars voti non erit illa mei.
Sanguine venalis quod si victoria nostro est;
Dî, precor, hoc diris exagitate caput.
Jam vidi dare terga meos. cur vivere nolim
(Et quid adhuc vivo?) sat super esse reor.
Dixerat: adversos jugulandus fertur in enses;
Telaque consumit pectore mille pio.
Continuo revocati animi, necopinaque virtus
Asperat ultrices in fera bella manus.
Causa valet melior; patriæ gratare, Pisani.
Sternitur en umbris victima digna tuis.
At pudeat, Fortuna, tui. tibi, perfida, tanti
Funera, si nescis, invidiosa viri.
Non potes hoc vel mille nefas abolere triumphis.
Ille tuum per quot sæcula crimen erit!
Gallia, da veniam; nimio victoria constat,
Sanguine tam forti si redimenda fuit.
Salve, invicte necis, Deciisque æquande duobus,
Quo non Tænariis sanctior umbra jugis;

Pro-

UVA. BHSC. BU 06120

Prodige magnæ animæ, pulchrique facillime fati,
Morte salus patriæ cui properata suâ est.
Tu nunc Elysias herôum præmia sedes,
Et nemora ignavis non habitanda tenes.
At decorat lacrimis præclarum Gallia funus;
At sibi devotum luget acerba caput.
Dat lacrimas; quas, ni cecidisses, magne Pisani,
Ipsa sibi miseræ nempe datura fuit.
Quanti est, posteritas, (cui vix imitanda legentur)
Cum patriæ possis vivere, malle mori!

Ad Marchionem Montozerium.

O Quem gloria duplicis Minervæ,
Conspectum ingenio, manu potentem,
Dextræ fulmine & oris invidendum,
Lato, qua patet, approbavit orbi,
Heros maxime, nec minor Dearum,
Quæ fontem Aönium colunt, voluptas;
Quod pro carmine prorsus impolito
Tres dono mihi miseris poëtas,
Priscæ lumina principesque Musæ,
Quidni gratuler hunc mihi favorem?
Quidni me rear oppido beatum?
Certe exosculor æstimoque munus,
Ut nec maxima pluris æstimarim.
Non hanc quod meritus benignitatem:
Non quod munere me fuisse dignum
Tam lauto rear atque liberali:
Cui multum pretii probatus auctor,
Multum ponderis auctor addidisti:
(Novi quam mihi curta sit supellex,
Quam vix Piëris audiat vocantem)
Sed quo te venerer, colam, ac adorem
Hoc in mnemosyno remotus olim,
Musæ principibus tribus Latinæ;

Quos

UVA. BHSC. BV 06120

Quos tu pectine sic refers eburno,
Ut sese referant magis nec ipsi.
Quo te, inquam, venerer colamque posthac
Vates pessimus optimum poëtam.

Ad Iohannem Ludovicum Balzacium ruri viventem.

BAlzaci, unica Suada Galliarum,
Quid te furripis invidesque turbæ?
Quid dudum cupidis negas amicis?
Urbis cur strepitum fugis beatæ,
Dum famæ satur es, saturque plausûs,
Invitum quoque rure qui sequuntur?
Ruri ferreus ah latere noli!
Quid cum rure tibi, Venus venusta?
Quo nil comtius ac magis politum,
Nil urbanius elegantiusque;
Cui nil denique ruris inficeti est.
Nam quid lucifuga lates latebra,
Balzaci, unica Suada Galliarum?
Duris sat super est datum colonis.
O, tam splendida, ter quater beatos,
Si norint bona, ruris inquilinos!
Verum sordida & imperita turba
Ignorat, mihi crede, se beatam.
Huc huc ocius ociusque vultus
Eia aulæ populoque da fruendos.
Quin vultus quoque das mihi fruendos?
Ni te videro, Gallicana Siren,
Quamvis videro quicquid hic venusti est,
Cum jam scilicet ad meos revertar,
Quidni jure mihi fuisse visa
Possim Gallica regna pernegare?

Ad

UVA. BHSC. BU 06120

Ad Ægidium Menagium.

A Mœnitatum promiconde Menagi,
Factum jocoſe eſt, comiterque & urbane,
Dignumque vate, quod famelica luce,
Luce hac nefaſta, munus Heinſio miſti
Binas lagenas flore muſteo Bacchi
Novi repletas; quodque maxime laudo,
Tam delicati, ni quid ipſe diſſentis,
Jurare ut auſim quolibet ſacramento,
Donum haud poteſſe delicatius mitti.
Aquæ vel ipſos nam movere potores
Odore poſſit ac ſapore nativo.
Quidni, ô venuſte noſter, approbem munus?
Romana ſi lex eſurire jejunis
Hac luce juſſit, at ſitire non juſſit.

Ad eundem, de Macrino paraſito ac ſycophanta nobili.

ORdinis ille decus paraſiti & fama Macrinus,
Promtus in exſtructas arma movere dapes,
Qui præter fumum nil captat, culte Menagi,
Cui dape fumantes ſunt Cynoſura foci,
Qui fumo vitam debet miſer, omnia fumo;
Dic mihi, num fumos vendere jure poteſt?

Ad eundem de eodem.

NIl atrocius eſt tuo Macrino,
Menagi, pater elegantiarum:
Non Atreus, nec inhoſpiti Cyclopes
Nec Læſtrygoniæ tyrannus arcis:
Si quæ Pythagoræ fides renato.

Hoc

UVA. BHSC. BU 06120

Hoc quem dicere crede vel tacentem.
Nam quot funeribus tuus Macrinus
Lassavit Stygiam cruentus alnum !
Quam sæpe innumeram simul cohortem,
Quam confecerat efficax Macrinus,
Vidit portitor, horruitque visâ !
Hinc ibant vetiti coire capi,
Inde Iönidis agmen attagenæ,
Quasque à Phaside Thessalis juventus
Fulvo vellere jam potita vexit ;
Tum Saturnia cujus explicatis
Argi lumina dedicavit alis.
Huc tot funera gentium minorum
Per me addas licet, alitumque stragem,
Quas nunc ordine nuncupare longum est.
Huc tot quaprupedum gregem ferarum,
Quîs consanguineus tuus Macrinus ;
Adde huc gurgitis incolas marini,
Aut captos fluviatili sub unda,
Quos (summo facinus stupore dignum)
Certus parcere nemini Macrinus
Festis esurialibus comêdit.
Omnes artubus hi quidem revulsis,
Ac crudeliter undiquaque truncis :
Qualem Deïphobum Lacæna conjux
Hosti perfida prodidit Pelasgo ;
Aut qui per scopulos lacer ruboſque
Acceptam Triviæ refert salutem.
Sed scin' præmiolum tuo Macrino,
Cum jam Tænaria fruetur aura,
Quodnam Gnosias urna destinarit
Pro re tam bene fortiterque gesta,
Menagi, pater elegantiarum ?
Lautum quamlibet, at nec invidendum.
Quo possit rabidum domare ventrem,
Neu famelica bucca ferietur,

UVA. BHSC. BU 06120

Ablegabitur helluo ille noſter,
Ille artis paraſiticæ magiſter,
Cui gurges patrimonii vel ipſe
Faſces tradat Apitius culinæ,
Cui nec par Eriſichthonis vorago eſt,
Cui cedat Polyphemus eſitando,
Ablegabitur hic tuus catillo,
Os ſupponere Cerbero cacanti.
En paſtum haud, puto, publici ſaporis,
Dignam aſt indole rem Macrinianâ;
Qua nil ſpurcius inquinatiuſque,
Nil merdoſius invenitur uſquam,
Menagi, pater elegantiarum.

Diræ in eundem Macrinum Busbequiani nominis obtrectatorem. ad Menagium eundem.

ISte iſte Rhetor, Atticæ fames linguæ,
Profeſſor artis, quam Gnathonicam dicunt,
Quadræ beati ſorte qui ſuæ vivunt;
Divæ tot annos Eſuriginis cultor
Admiſſionis intimæ, & comes fidus,
(Scin' quem petamus, erudite Menagi?)
Potum ſceleſtus ebriumque Germanum
Busbequium vocavit, at virum quantum!
Indignor, horreo. alpha Sycophantarum
Tam non ferenda ut probra dixerit gratis!
Arma, arma, Scazon. fulmen ignei dentis
Exaſperetur in famelicum pectus.
Dum præ dolore, præque tædio vitæ
Collo plicandam concitetur ad reſtim,
Rituque nexus occidat Lycambêo.
Speraſti abire ſalvus, os venenatum?
Non hercle abibis. huc piaculum infandum,
Huc litterarum carcinoma: pugnandum eſt.
Peſtis macelli, vaſtitas culinarum,

Con-

UVA. BHSC. BU 06120

Conviviis inominata tempestas,
Huc huc, Celæno Gallicana: pugnandum est.
Quid arma differs? quid morare? pugnandum est.
Vibice spissi nec perusta quod Hagri
Occalluere terga, crede te tutum.
Septemplici non pelle ut ambules tectus;
Testudinisve tergore aut boris Lucæ,
Diros retundes, quos minamur, insultus.
Exsibilent jam faxo te capillati,
Quos è cathedra pascis ore jejuno,
Rerumque inani voce perperam obtundis;
Ni vellicare desinis viros summos,
Veneficamque comprimis, scelus, linguam.
Lautis potentum nec superbus in mensis
Coinquinante cuncta pollues tactu.
Sed delicati, qui focis redundarit,
Nidoris auceps irritusque captator
Obambulabis sub meridiem frustra.
Stultos nec usquam circulator offendes,
Quis involare, ut ante, sportulam possis.
Te servi abactum limine invido expellent.
Ipse obserata janitor fore arcebit,
Frustra precantem supplicemque ut admittat.
Si post repulsam pertinaciter restas,
Vel non amico dedolaberis fuste,
Triumvirali vel fricaberis loro,
Bovesque tergum mortui fatigabunt.
Tali apparatu ubique fercula offendes.
Imo hac vel ad me lege ventita in cœnam.
Id mox futurum Musa nostra præsagit;
Quæ pipulo te differet, pecus brutum,
Aulas per omnes circulosque magnatum,
Pastuque ventrem non sequente fraudabit.
Qualem volucres magnæ Erechthidos gnati
Invisam Aëllo cum sororibus binis
Cæci fugarunt contuberuio vatis.

UVA. BHSC. BU 06120

Jam dira præsto en crux, & uncus, & flammæ,
Ultrix merenti quas paravit Alecto.
Calumniatrix lingua jam dabit pœnas,
Sævas, cruentas, hactenusque inauditas,
Quas execrentur horreantque venturi.
Verum probabit certus augurem eventus.
Hoc Delphico tibi ære crede prædictum,
Jejune Rhetor, Atticæ fames linguæ,
Bucca canina ni latrare desistis.

Ad Ioachimum Vevelichovium, Iurisconsultorum familiæ insertum.

LAus patriæ, magni genitoris amabile germen,
Libera Lugdunum quo solet ore loqui,
Cinge comas, agedum. decursa novissima meta est.
Cernis, ut applaudant pulpita docta tibi?
Post Ararim Rhodanumque, & crudi Marte Garumnæ
Flumina luminibus non male nota tuis,
Ecce, parat reduci Phœbeïa ferta Batavus,
Et Clario meritas vestit honore comas.
Ipsa Themis stimulos properanti subdit alumno,
Et fovet adflatu pectora docta suo.
Grande magisterii pretium, Dea sancta, tulisti.
Dignior æterno nulla favore domus.
Culta diu domus illa tibi, sed & ipsa colentem
Semper inextinctis devenerata focis.
En caveæ plausus: in te fragor iste redundat.
Laudibus exsultas illius, ille tuis.
Jam regeris nato meriti benefacta paterni.
Nam pater ut vireas utque colare facit.
Quam bene germanis successit adorea fatis!
Alter ab alterius funere nomen habet.
Cedite lugubres feralia ligna cupressi:
Nunc revocent lætæ laurea ferta fores.

Sic

UVA. BHSC. BU 06120

Sic ubi composuit cineres rediviva paternos
Limine Phœbêo, composuitque suos;
E consanguineo præpes micat altera busto
Ilicet, Eôæ quam venerentur aves.
Nil actum, Libitina, tibi. modo, ferrea, parce,
Parce sacram Themidi præcipitare colum.
Pone modum sceleri: satis est semel esse nocentem.
Quod superat doctæ, floreat omne, domûs.
At tu nacta tuis æternum nomen alumnis,
Ubere Pierio quos, pia Leida, foves;
Urbs gnato Phœbêa fave. tuus ille putandus.
Quod placet, adplausum promeruitque, tuum est.
Artibus ingenuis tenero tibi comtus ab ungue,
Jam puer à cunis creditus ille tibi.
Mox juveni Themidem totumque Helicona dedisti.
Hoc, dea, plus meriti, quam peperisse, fuit.

In Ianum Vlitium, Gratii de Venatione poëma Commentariis illustrantem.

SAcra pharetriferæ studiumque agreste Dianæ,
Atque in fulmineas arma movenda feras,
Lusit Apollineus testudine Gratius aurea;
Lusit, & æternum Delia fovit opus.
Sed tamen (usque adeo nihil est à tempore tutum)
Occidit annosâ pagina pæne morâ.
Mysta lacer, lacer ille tuus, Dictynna, sacerdos,
Qualis Aricino Virbius ante lacu,
Jam fugituram animam Stygia sub nocte trahebat:
Spesque super lapsæ nulla salutis erat.
Læsa etiam cum vate dea est. nihil ignis in arâ.
Templa litaturæ vix subiere manus.
Squalet Gnosiacæ decus immortale pharêtræ.
Copula dispersos non ligat ulla canes.
Sacrilegas inpune feras neglecta terentes
Mænala conspiceres Partheniumque nemus.

UVA. BHSC. BU 06120

Quid facias, dea casta? piget non digna ferentem.
Pervia sunt tantis & tibi corda malis.
Frater opem poscendus; opem feret ille petenti.
Nam propior nulli justa querela deo est.
Viderit ipse pater, fulmenque volubile rursus
Torqueat infestâ, torsit ut ante, manu.
Crede mihi; nihil est, quod deneget ille sorori.
Pignora conspicui certa favoris habes.
Te propter tulit ante casis habitare Pheræis,
Et cœlo Hæmonios pascere pulsus equos.
Audierat, Clariasque petit Latonia sedes,
Ac medicam vati blanda rogavit opem.
Cui deus (ut sibi causa viæ, sibi causa doloris
Cognita) complexu rettullit ista dato.
Ardua res, soror, est quam poscis: at irrita ne sit,
Pendet ab obsequio spes tibi certa meo.
Dixit, & Haganas super ilicet adstitit umbras,
Quas amat Aöniis non minus ille jugis.
Vlitiadenque meum celer occupat, occupat omnem;
Ac solito raptum numine pectus agit.
Ille Deo plenus succos adhibere salubres,
Truncaque Piëriâ membra fovere manu.
Nil Jovis effectum telis. Epidaurius heros
Hippolyto, Grati, quod fuit, ille tibi est.

UVA. BHSC. BU 06120

De Iohanne Schildio, ad mortem Senecæ à Tacito descriptam Notas Politicas edente.

DAmnatum Senecam scelerati lege Neronis,
Filaque sic sancti non temeranda senis,
Descripsit Tacitus, sed enim brevitate Lacæna,
Tritus ab attentâ qui velit esse manu;
Nec nisi continuo rerum pollentibus usu
Pervius, ac doctos multa docere bonus.
Haud tulit abruptâ natas brevitate tenebras
Schildius, & liquidas perspicuasque facit.
Ne verò tibi crede nefas inpune peractum,
Cæsar. agit cineres sera Megæra tuos.
Jam facit invidiam diro Germania busto.
Jam pia sacrilegum devovet ora caput.
Huic Natura parens, huic fas pietasque deusque,
Credidit huic causam Martia Roma suam.
Eumenis anguineo sontem premit, ecce, flagello.
En Seneca Elysio vivus ab orbe redit.
Nam qui dat Senecam memoranti præmia lucis,
Non minus, ac Senecæ si daret, ille facit.

Ad Sequanam, de Maria Gornea.

SEquana, vitiferis quem dia Lutetia campis
Exceptum gremio ceu viridante fovet,
Multa, pater, spectanda tuâ miramur in urbe:
Et, cur te venerer, plurima causa mihi est.
Seu tua quod cupidum sapientia pellicit orbem,
Inque peregrinos tam studiosus amor.
Seu te postpositâ quia legit Hyantide lymphâ
Cynthius, & potior Phocide ripa tua est.

UVA. BHSC. BU 06120

Certatim Aönides tibi se tribuere colendas.
Numina sunt nullo fertiliora loco.
Cunctarum tamen instar habet Gornæa. quod olim
Pallas Erechthêis mœnibus, illa tibi est.
Utraque perpetuâ se virginitate tuetur:
Et fovet hæc Clarias, & fovet illa, deas.
At tua nobilior me, Sequana, judice palma est.
Ore loqui Phœbum nunc tibi crede meo.
Cedite Pierides; tuque, ô Jovis edita partu,
Quamlibet armatas trade subacta manus.
Non eritis pia cura mihi, velut ante fuistis.
Numinis adflatu nobilioris agor.
Nam vobis cur tura, deæ, votiva ferantur;
Si, quod adoremus, vel dare terra potest?

Ad lectorem scriptorum ejusdem.

QUid, lector erudite, perculsus stupes,
Dum culta magnæ scripta Gornææ legis,
Quod docta quam facunda non minus legis?
Utraque laude maximos virgo viros
Post se reliquit, sæculi miraculum.
At lector illud erudite, si sapis,
Noli invidere virgini magnæ decus,
Quod sexui Natura debuit suo
Conferre, si conferre cuiquam debuit.

UVA. BHSC. BU 06120

De arce Puteanea, ad peregrinos Lovanium visentes.

ADvena, qui Grudias lustratum tendis Athenas,
Huc age. res longæ digna labore viæ.
Incolit augustos Puteanus in arce penates.
Tota domus domini numine plena sui est.
Flecte oculos, quocumque voles; agnoscitur hospes.
Plurima, quæ stupeas, angulus omnis habet.
Huic Genio sacer ille locus. penetrale beatum!
Advena, tam sanctos fac venerere lares.
Ipsa sibi caram Tritonia condidit arcem,
Et colit, & nullo cultior ipsa loco est.
Quid molem spatiumque domûs mirare, situmque?
Ampla licet, dominum non capit illa suum.
Da sedem quamcumque, orbem da denique totum;
Totus in hospitium non satis orbis erit.
Mens spatiosa viri est. hanc, quod capit omnia, cœlum
Vix capit. immensos exigit illa lares.
Gaudeat, ô Superi, magno domus hospite longum;
Et gemat hoc raptum non nisi sera caput.
Hospes digne domo, domus hospite, vivite uterque.
Jungere par melius non potuere dei.
Tu quoque, spectator, mecum vixisse negabis
Nobiliorem animam nobiliore loco.

Ad Danielem Backerum, cum Iurisconsultorum ordini adscisceabatur.

CLari parentis vota spesque Backere,
Legum potentis docte cultor Astrææ,
Phœboque amate cum sororibus Phœbi,
Nunc macte famâ. quicquid hactenus frugis
Scientiarum per vireta collectum
Recondidisti, tempus exigit promas.

UVA. BHSC. BU 06120

Hæc compotem te reddet hora votorum.
En, meta longi jam laboris adfulget.
Amice, prodi. quid morare tam raras,
Tamque invidendas edere ingenî dotes?
Quid, oro, laudem intercipis tibi tantam?
Tandem secundos auspicare successus.
Nunc nunc profanam, mente vivida fretus,
Retunde victor obstrepentium plebem,
Ipsisque robur à periculis sume.
Ut ille quondam montibus leo terror,
Quem strage pecorum, quem cruore taurino
Gætula late sensit asperum tellus;
Tandem superbum si magister armenti
Hostem patente deprehendit in campo,
Tensisque circumquaque retibus sepsit,
Jubam tremendus surrigit lacessitam,
Tum fulminante spuma candicat rictu,
Venabulisque pectus horridum indulgens
Ultro minaci fertur obvius turbæ.
Porrone cessas, erudite Backere?
Tempus cathêdram personare responsis:
Audere tempus. si quid auguror veri,
Nec Heinsiano pectore exsulat Pæan,
Vinces, amice; perque acuta bellorum
Sospes ferere. mox tribunal Haganum
Vocis probare discet aureæ Suadam,
Facundiæque flumini tuæ adsurget.
Hoc omine omne mentis explica robur,
Clari parentis vota spesque Backere.

Votis

UVA. BHSC. BU 06120

Votum ad fontes Spadanos.

VOs ô sulphureo medicati gurgite fontes,
Tuque salutiferæ lympha perennis aquæ,
Puræ lympha perennis aquæ, mihi leniter adsis.
Sic Lachesis victas det tibi sæpe manus.
Ecce, procul Batavo male sanum è litore vatem.
Dî, precor, optatam sentiat æger opem.
Vos veterem mihi torpenti depellite morbum;
Utiliter potæ vos mihi sitis aquæ.
Quod si respiciunt fugitivæ pectora vires,
Intrat & amissus languida membra vigor;
Marmore constituam de vivo altaria Nymphis,
Et meritum sanctæ testificabor aquæ:
HEINSIUS HÆC PARTÆ VOBIS MONUMENTA
SALUTIS
DEDICAT, UNDARUM NUMINA NAIADES.

In natalem Casparis Kinschotii, Lud. Fil.

KInschotii lux ista mei est, cui contigit uni
Aönio doctam fonte domare sitim,
Ad sua conveniant geniales sacra poëtæ,
Si quis amat citharam, carmina si quis amat.
Tu quoque, tu saltus Aganippidos Hippocrenæ
Piërii præses Delphice linque chori.
Tuque, Geni, propera. tibi conjunctissimus ille est.
Pectora habet nulli tam bene nota deo.
Hic tibi certa domus. sed enim, pater alme, videto,
Exorent faciles tam pia vota deos.
Vivat, &, ut vivat, tibi se fac debeat uni.
In monumenta nihil Styx tua juris habet.
Jactet Apollineum quantumlibet Haga Secundum;
Nunc aliquid majus, quo sibi plaudat, erit.

UVA. BHSC. BU 06120

At tu de niveis lux feliciſſima ſalve
Lucibus, & faſtos inter amanda dies.
Semper odoratis nos te venerabimur aris.
Dent modo tam doctum Dî ſupereſſe caput.

In Rulandi Kinſchotii diſputationem juridicam.

HOc quoque, tantarum poſt tot miracula rerum,
Quod ſtupeas, hoſpes, terra Batava dabit.
Aſpice vix teneris juvenem vernare ſub annis,
Nunc tonat imberbi cujus ab ore Themis.
Præterea mirare, hoſpes, patruoſque patremque,
Nomina legiferæ terna dicata deæ.
His etiam præluxit avus. veſtigia magni
Sanguinis in docta plurima ſtirpe vides.
Quanta patet, Themidi ſacra eſt domus. inſpice totam.
Notior in cœlo vix dea ſancta ſuo eſt.
Mancipe Kinſchotiis ceu vinclo nexa tenetur.
Tanti erat, ignotam viſere rurſus humum.
Quoque magis ſtupeas; Themidi cum tota litarit,
Rite domus Muſas non minus iſta colit.
Sic conſanguineis quondam bene juncta Camœnis
Culta ſub Aönio vertice Diva fuit.
At tu, flos juvenum, ne ſanctos ſiſte labores.
Arca deæ dudum gentis in ære tuæ eſt.
Æqua parat meritis ſi præmia reddere veſtris,
Jam par ſolvendo vix erit alma Themis.
Mente parum memori niſi tot benefacta recondit,
Præmia purpuream debet avita togam.

UVA. BHSC. BU 06120

In lectulum parentis sui, epigrammate mathematico à Constantino Hugenio Zulichemio celebratum.

FElix lectule, quem superba plectro
Summis Uranie dicavit astris,
Plectro quem Zulichemio dicavit.
Felix tu quoque, quo parente multum,
Heinsi, glorior, erudite, natus.
Nil jam pervigiles, laboriosas
Musis nil opus imputare noctes.
Fascem tot remove molestiarum.
Famæ molliter, en, licebit instes,
Quanto, Dî Superi, labore partæ!
At Momo tamen invidente partæ.
Aufer pulpita: tolle pallidarum
Testes sollicitudinum lucernas.
Fac, stertas, pater, ac utramque in aurem
Alto compositus fruare somno.
Sed quidnam Zulichemio reponas,
Cui longe potiora debeantur,
Quam debes Heliconiis deabus?
Famam contulit ille dormienti.

Ejusdem Zulichemii imago vivis coloribus expressa.

COnscia Arausiacis en ora & pectora curis,
Effigies patriæ primaque fama suæ.
Omnibus hunc terris ostende, Batavia, vultum:
Qui toto vultum monstrat in orbe tuum.

UVA. BHSC. BU 06120

In poëtam ἀπροσδιόνυσον, & aquæ potorem ſtrenuum.

PErſes (ſi meruit fidem vetuſtas)
Ulturus Marathonium pudorem,
Jam poſt Thermopylas ferox ſubactas;
Graium militibus replerat orbem.
Mox fractus Salaminiis in undis;
Tum terrâ quoque fuſus & fugatus,
Graium funeribus replevit orbem.
Numquam millia tot ferunt coacta.
O quis fluminibus dolor Pelaſgis!
Quorum nil ſitientibus relictum eſt.
Lymphis hinc viduum ſuis videres
Eurotan nitidæ patrem palæſtræ,
Hinc, qui Cecropios maritat agros,
Iliſſon face myſtica ſuperbum;
Et quos inſuper haud opus referri eſt.
Teſtis Græcia; barbaræque Romæ
Mendax dicitur: at nihil fefellit.
Nam ter tot vada millibus trecentis
Siccari potuiſſe quis negarit?
Quanto tempora digniora ſeris
Sunt annalibus & ſtupore noſtra!
En opponimus, en, rudis vetuſtas,
Unum tot legionibus poëtam.

Aliud in eundem.

CReditur æquoreas olim reptaſſe per undas
Orta Cytheriaco de ſale diva Venus.
At tibi fluminea Veneres naſcuntur ab unda.
Inſulſas Veneres quis neget, Aule, tibi?

Aliud

UVA. BHSC. BU 06120

Aliud.

NEgant furore te poëtico tangi.
Sed mentiuntur, Aule. namque quis credat,
Vatem furoris nil habere lymphantem?

In Gulielmum Principem Arauſionis, cum Leidæ expectabatur.

MArtius herotum ſanguis, cunabula cujus
Sævus Iber tremuit, nunc tremet ecce manum,
Pectora cui genitor gentilibus excitat auſis,
Invictum auſpiciis quem facit eſſe ſuis,
Nuper ab indomitis cui venit Sponſa Britannis,
Sponſa Caledoniæ gloria prima domûs,
Jam placidus nuptamque ſuam ſeſeque videndum
Exhibet, & Clarias luſtrat uterque deas.
Dux gnatam Regina præit pia mater, honoras
Tergeminum cingit cui diadema comas.
Nec minus & genero, quam tantâ ſorte, ſuperbit;
Nec minus hunc regnis æſtimat illa ſuis.
Obvia progreditur doctis comitata deabus,
Leidaque vix pompam ſuſtinet alta ſuam.
Ipſa etiam Batavis dea tutelaris Athenis
Gorgone feſtinat Pallas operta ſuâ.
Jamque verecundus niveo rubor æſtuat ore,
Dum ſe majores ſentit adeſſe deas.
At tu, qui patrii moderabere frena Lycei,
Cum genitor ſuperis ſedibus auctus erit,
Naſſaviæ decus omne domûs, ſpes certa tuorum,
Plurima debemus jam benefacta tibi.
Hoc quoque, præſenti quod Pallade Leida ſuperbit,
Pallade quod viva conſpicuaque, tuum eſt.
Virgineam facunda Deam quid Græcia jactat?
Nupſit Arauſiadæ quam bene Diva ſuo!

In

UVA. BHSC. BU 06120

In Andream & Fránconem Goesios fratres, cum summis in utroque Iure honoribus ornabantur.

QUales Tyndaridæ fratres Ledæa propago,
Cæstibus armatas dum movet ira manus,
Castor Tænarius cum Tænario Polluce,
Hic pedibus præstans, ille superbus equo;
Neutri inpune pugil fratrum concurrere quisquam
Speret, & adverso conferat arma gradu.
Certa manet geminos victoria: laurus utrique
Perpetuam redimit continuata comam.
Sparta pios præsens exhortabatur alumnos,
Spectatrix animos Sparta paterna dabat.
Substitit Eurotas illis luctantibus ipse,
Et miratrices obstupuistis aquæ.
Tales Goesiadas, gemino par Castore dignum,
Nunc, pater, in docto pulvere, Rhene, vides.
Si pietas mihi nota tua est, si constat alumnos
Præsidio tutos sæpe fuisse tuo;
Suggere facundæ rorantia flumina linguæ.
Quicquid in his possunt artibus, omne tuum est.
Tu quoque, Leida, fave: tibi enim de fratribus illis,
Sint modo victores, laus memoranda manet.
Auspicio formata tuo est cultissima rerum,
Quæ pro se didicit tam bene lingua loqui.
Si patet augurium præsagis, Phœbe, poëtis;
Pectora si vatum sunt agitata tibi:
Goesiadæ vincent. en, auguror. exitus omen
Fac probet, & certâ sint rata dicta fide.
At vos, Goesiadæ, modo pergite; palma paratur
Victricem vobis jam subitura manum.
Curia se pretium longi dabit alta laboris;
Quæ domui vestræ non male trita via est.

Ad

UVA. BHSC. BU 06120

Ad Cornelium vander Myle, Virum Ill. cum Academiæ Leidenſis cura ei denuo demandabatur.

AUſpice vix tandem cœlo lux feſta propinquat,
Qua Phœbi Mylio credita cura ſui eſt.
Phoſphore, nunc propera, ſtimulis nunc utere totis.
Lux ea quæ populo gaudia, quotque feret!
Illam fatidicus præſago Delphicus antro,
Et læto tripodes præcinuere ſono.
Illam Pegaſeas celebravit Phocis ad undas,
Et Muſæ faſtis inſeruere ſuis.
Nunc demum attollat comtos Academia vultus.
Tandem habuere ſuos publica vota Deos.
Quid dubitas, vir magne? licet Fortuna minetur,
Illa ſemel rebus non ſatis æqua tuis;
Dum titulos invita tuos videatque probetque,
Et te victorem non neget eſſe ſuum.
In te conſpirant populi pia vota Batavi,
Et Mylium patriæ plurimus ambit amor.
Hic quoque poſt alios titulus reſtabat honores,
Ne male non totus reſtituare tibi.
Jam poſtliminio revocatum admitte favorem.
Incipe jam meritis mitior eſſe tuis.
Quid renuis fruſtra? jam te Plebs læta Patreſque;
Jam vocat, invitum jam trahit omnis Eques.
Nec Livor meruiſſe negat. quo teſte probaris.
In te jam poſthac non habet ille locum.
Poſt patriæ plauſus, revocataque gaudia Muſis,
Reddita poſt Clarii templa regenda dei,
Sera triumphanti Mylio Fortuna nocebit.
Concurrat toti quamlibet illa tibi.
Quæ vinci didicit, poſthac tibi parcere diſcet.
Perfidiæ toties jam pudet eſſe ream.

UVA. BHSC. BU 06120

In Thomæ Maii ſupplementum Pharſaliæ Lucani, auſpiciis Sereniſſimi magnæ Britanniæ Regis publicatum.

EXſequias Latii tabo ſenieque natantis,
Pilaque viſceribus, Roma, recepta tuis,
Collaque Pompeii Phariam geſtata per aulam,
Tractantemque manu vulnera cruda virum,
Et libertâti fatalia Cæſaris arma,
Quæ multo utilius ſuccubuiſſe fuit:
Hæc viridi quondam cecinit Lucanus in ævo;
Sæva ſed abruptum Parca reliquit opus.
Nec minus invidiæ Pharſalia docta Neroni eſt,
Victori, Cæſar, quam fuit ante tibi.
Nec minus hoc rurſum Libertas vulnere paſſa eſt,
Quam prius Emathio paſſa ſub hoſte fuit.
Pene iterum Magno Latium pereunte peribat,
Cumque tuo viſa es Roma Catone mori.
Invidit lucemque operi, lucemque poëtæ;
Damnavitque uno Cæſar in hoſte duos.
Interitura ſuum plorabant carmina vatem,
Fœmineâ Pollæ reſtituenda manu.
At bene, quod dirum Pharſalia paſſa Neronem
Cum domino nondum tota ſepulta ſuo eſt.
Temporibus Phœbêa meis medicina refulget,
Quâ ſibi truncatum reſtituatur opus.
Quod Seneca abſumto nequiit præſtare nepoti,
Quod nequiit rapto Polla relicta viro,
Auſpicio, Rex Magne, tuo Pharſalia tandem
Cultibus aucta novis regia tecta ſubit.
Libertas ſe ſalva tuam Romana fatetur:
Acceptumque refert vel moribunda legi.
Quæ Nero damnarat, tu das monumenta renaſci,
Muneribus Clariam ſollicitaſque chelyn.

Applau-

UVA. BHSC. BU 06120

Applauſus ſenſere pios præcordia Maii.
Numinis adflatu ſaucius ille tui eſt.
Audiat hoc Tameſis. tuque ô clariſſime Regum,
Laudibus, ut cœptum eſt, perge favere tuis.
Quod neque Pompeius Latii ſpes vana labantis,
Non Brutus potuit magnanimuſque Cato;
Vel poſt Theſſalicas ſibi reddita Roma ruinas,
Roma tuum poſthac libera munus erit.

In Erneſti Brinckii Pinacothecam rerum naturalium.

VIrtuti quodcumque datur, quodcumque labori,
Puppibus emenſi turba Batava ſumus.
Vix Oriens noſtrum migraverat omnis orbem,
Jamque catenatis Heſperus ibat aquis.
Hinc Indi, hinc meritas coäcervat America palmas,
Victoriſpolium Phœbus uterque ſuo eſt.
Amſtela purpureæ jam gemmeus incubat urnæ.
Auratas muſco prætulit ille domos.
Rhenus Erythræo quæſitas littore conchas,
Sardooſque onychas, totaque regna vehit.
Divitiis, Pactole, tuis, en Moſa ſuperbit;
Quîſque Tagus quondam, nunc tumet Ya, vadis.
Et Tarteſſiacis ſubductum montibus aurum
Prætulit Aſturiis rura Batava jugis.
Terrarum ſecreta patent, ſecreta profundi;
Orbaque viſceribus ſtant elementa ſuis.
Marti diviſit mundum Fortuna Batavo.
Invidet, & raptas plorat Iberus opes.
Quam bene tot gazas, tot mundi arcana repoſti
Brinckiadæ cumulat ſedula cura mei!
Spectator, metire oculis hic quicquid Idume,
Quicquid Arabs, Seres quicquid & Indus habent.
Quanta patet Natura, domum confluxit in unam.
Dat mundi ſpecimen totius una tibi.

UVA. BHSC. BU 06120

Plus tamen his aliquid domino miramur in ipſo.
Divitiis longe prænitet ille ſuis.
Eſt illi facies, ſunt hoſpita cuilibet ora;
Plenaque candoris pectora, plena joci.
Exſulat è blando moroſa ſuperbia vultu,
Et ſpectatori ruga timenda ſuo.
Utraque conveniat cum ditibus India gazis:
Vel quæcunque alibi barbara regna latent.
Conveniant Arabes, veniant Perſæque Syrique:
Nulla tibi tellus hoc peregrina dabit.

In Ioannis Smithii pinacothecam antiquariam & ſupellectilem Romanam.

ANtiqui lateres, Urbiſque annoſa ſupellex,
Æraque Cæſaribus priſca notata ſuis,
Fibulaque, & ſolido gravidæ dodrante bilances,
Tuque puellari gemma ſuperba manu,
Vel quæcumque meis ſuperant monumenta Batavis
E ſenio tantæ relliquiiſque Deæ,
Hac demum gaudete die. vos Smithius umbris
Eruit, & luci donat habere ſuæ.
Hactenus ignavis jacuiſti merſa tenêbris,
Rudere nunc major, Martia Roma, tuo.
Attonitus vixque ipſe ſuus ſpectator ubique
Hæret; & æternâ ſe putat urbe frui.
Emicat è ſacris facies veneranda ruinis.
Ipſe cinis multum relligionis habet.
Ingenioſa ſuo quàm ſpirat in ære vetuſtas!
Ut, ceu præſentes, ars dat in ære Deos!
Percellit mirantum animos & pectora complet
Numine majeſtas Cæſariana ſuo.
Anule, jam dominæ digitis verſabere noſtræ.
Accipiet faciles miſſa tabella notas.
Gaudeat adductis rugoſa lacinia gemmis,
Mordeat & laxos fibula curva ſinus.

Ficti-

UVA. BHSC. BU 06120

Fictilis attritâ male pendeat urceus ansâ,
Libet & assuetis missa patella Deis.
Denique Tarpeiâ Latialis fulminet arce,
Inque suo posthac Juppiter ære tonet.
Spectandi accensus studio quicumque Batavus
Vel rate in Ausoniam vel pede tendis humum;
Quid Romam Romæ desertа quæris in urbe?
Smithiacos patriis prætulit illa lares.

In delatos Iohanni Somerio, Corn. Fil. Iuris utriusque titulos.

DEbita jam festam spectacula sistite pompam:
Somerii meritis lux datur ista mei.
Ille Aganippiadum celeberrima cura sororum
Sacra facit Themidi. plaudite quisquis ades.
Inclyta Dordracum nunc cive superbiat isto:
Hunc quoque post tantos quem veneretur habet.
Tuque pater, gaude: tibi palma domestica surgit.
Additur en titulis palma superba tuis.
Grande tuum meritum: te prodiit auspice tantus.
Maxima pars laudis se vovet inde tibi.
Illi præluſit virtutum fama tuarum.
Majores stimulos vix aliunde petet.
Crescat, & in titulos exsurgat rite paternos:
Nescio præsagit quid mihi grande Deus.
At tu Somerio viridem, Themi, necte coronam:
Arte Machaoniâ quam pater ante tulit.
Phœbe, tibi debet si se Medicina repertam;
Si sunt inventum plectra canorque tuum,
Quære novas artes. nihil hinc tibi, Phœbe, relictum est.
Exhausit titulos jam domus una tuos.

UVA. BHSC. BV 06120

Ad Musas Iacobi Revii, cum is Theologiæ doctor designabatur.

REviades Musæ, non vos Helicone profano
Imbuit Aöniæ Cynthius arte lyræ;
Non vos Cyrrhæis bacchata furoribus antra,
Sacrave mendacis detinuere dei.
Felices, meliore piam quîs numine mentem
Legitimæ stimulat relligionis amor.
Vobis Uranie Superis adfixa poloque
Plena Palæstinis perluit ora vadis.
Ipse Deus vatem ter Iördane contigit undâ;
Cantanti titulos annuit ipse suos.
Non stetit adflato Parnassia vertice laurus,
Lascivum aut hederæ circuiere caput.
Palmiferos cognata sinus porrexit Idume:
Virgineas Solyme dispositque comas.
Nunc quoque, sed majore chelyn percurrite dextrâ;
Nunc, Divæ, tragico celsius ite gradu.
Ecce meum vatem meriti comitantur honores,
Præmia sudori non aliena pio.
Hauriet hoc ex ore Deum studiosa juventus,
Mysticaque abstrusi pagina quicquid habet.
Pagina divinæ sese hoc interprete legis
Nunc minus obscuram, quam dedit ante, dabit.
Sic quoque Reviades facunda poëmata Musæ
Pergite sed soli rite dicare Deo.

ECLO-

UVA. BHSC. BU 06120

ECLOGA AMATORIA,

Ad Conradum Ruſium, in procinctu Britannici itineris conſcripta.

FOrte per herboſo Lycidas confinia Rheno
Paſcua diſtentas cogebat lacte capellas,
Corda Cupidineis confoſſus amantia telis.
Illum luminibus pætis, nigriſque calentem
Niſa ſuperciliis, & blando adflaverat ore.
Niſa ſenis Dorylæ: qua nec ſpecioſior uſquam,
Nec pecoris, nivei nec ditior altera lactis,
Credita rurigenis ab amantibus. at puer illam,
Seu Veneri dilecta extolleret Heſperus ora,
Seu Matuta novum jam mane reviſeret orbem,
Voce ſupervacuâ & gemitu poſcebat inani.
Crudelem tumuli Niſam, prætentaque ponto
Litora, crudelem reſonabant paſcua Niſam;
Finitimumque nemus & flumineæ convalles.
Mœſta cavis Niſam geminabat collibus Echo.
Vos mihi, quas lacrimas, vos, quæ ſuſpiria ſurdis
Prodigus incaſſum jactaverit obvia ventis,
Dicite, blanda cohors Dryades: quæ margine Rheni
Innocuas agitis Fauno præeunte chorêas.
Formoſæ Dryades: vobis puer ipſe ſolebat
Occentare ſuos multum miſerantibus ignes.
Tu quoque, dum curis ſollemnibus otia miſces,
Ruſiade, agreſtem non averſare cicutam.
Vaticinor; jam tempus erit, cum numine plenum
Pierio plenumque tuo mirabere vatem
Mæoniis nitentem herôa ad plectra cothurnis,
Plectra ſecuturis memoranda nepotibus olim.
Verùm age nunc, gelidâ mecum hic requieſce ſub umbrâ
Faginei nemoris; dum paſtoralis amantem

UVA. BHSC. BU 06120

Reddit iŏ Lycidan mihi fiſtula. parcius illo
Sic tibi, ſic noceat Venus aſpera: ſic ſua tandem
Ruſiaden Cloris, Lycidan ſua Niſa ſequantur.
Ergo ubi jam ad Rheni viridantem gramine ripam,
Dilectam ad ripam conſederat; hæc miſer undis;
Hæc miſer averſis iteravit carmina ventis.
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Niſam.
Sævus Amor certe, Lycida, deus. ille leænæ
Hæſit ab uberibus: illum de matre cadentem
Proluit inſani tempeſtas ſpumea ponti.
Nil favet, ut nunc eſt, Lycida, tibi. quid, miſer, ignes
Ipſe tuos nutris, niſi quo patiare repulſam,
Et faſtiditus dominæ moriare ſuperbæ?
Dura tuo Lycidæ, nimis, heu nimis, aſpice, ut ægrum,
Niſa, terat macies, macies ut pectora furtim
Languida depaſcat. nec adhuc miſeraris amantem?
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Niſam.
Faune pater, ſi te remeantem noſtra quotannis
Arcadii dumeta vident de colle Lycæi,
Faune pater, (nec te numen præſentius ullum,
Aut minus averſum paſtoribus) eïa age, tandem
Da facilem aſſiduis & amicam queſtibus aurem.
Nam te ſæpe pater Corydon mihi, ſæpe Menalcas
Virginibus Paphios immittere rettulit ignes.
Crudaque nympharum faſtidia noſter Amyntas
Mænalia monuit te flectere poſſe cicuta.
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Niſam.
Tu quoque Rhene, mihi ſi flumina numen habetis,
Sancte, precor, faveas: & habetis flumina numen.
Aut ſi etiam hîc miſerum ſpes irrita lactat amantem,
Nullaque non vana eſt diro medicina dolori,
Occule flumineâ caput ocius, occule, lymphâ.
Fiſtula ſi placuit quondam mea, ſi mea quondam
Fiſtula finitimis, Pater, eſt laudata Napæis,
Occule flumineâ caput ocius, occule, lymphâ.
Rhene, tuas Lycidæ lacrimas furor exigit, abde,

UVA. BHSC. BU 06120

Abde caput, miserande, & versâ flebilis urnâ
Lætum exclude diem, nec amandi lumina cœli.
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
Nuper anus Micale magico auxiliaria rhombo
Carmina miscebat, miseri lenimen amoris.
Sulphure quin etiam viridis ramalia lauri
Tacta bitumineo crepitantem misit in aram.
Et ter, In hoc Nisam, ter, In hoc ego stipite Nisam
Comburo, Lycida. teneri faveatis Amores,
Tuque adsis Erycina tuis dea. dixit. at ara
Protinus obliquam sinuavit in aëra flammam.
Ominis augurio lætata, Sit utile. quid nunc
Quid, Lycida, cunctare? quid ô conubia differs?
Illa quidem dixit, sed nil mihi profuit omen.
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
Quam platanus vinosa nero, quam populus undâ,
Quam levis alga mari, quam limo canna palustri,
Tam lacrimis gaudes, Lycida miser. ô ego numquam
Fletibus assiduis absumerer! ô mihi semper
Perpetibus lacrimarum undarent lumina rivis!
O decor, ô gravitas, ô blanda superbia vultûs,
Carnificumque oculorum! ô, quæ libanda negari
Oscula, tormentum gravius nece! vosque papillæ,
Et nimium in tantos vox ingeniosa dolores!
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Nisam.
Aëria querceta, intactæ solibus umbræ;
Grata quies umbræ mærentibus. heu, loca, multum
Et lacrimis respersa, meis & tacta querelis!
Quique pios Zephyri toties stupuistis amores,
Dum tepidum lento perrepitis aëra motu.
Vos quoque, lugentem toties totiesque gementem
Quæ spectastis, aquæ; solitæ dum margine ripæ
Detinui mœsto salientes carmine rivos:
Vos placidæ valeatis aquæ. mihi tibia posthac
Externos per agros, & rura incognita vobis
Concinet, (ah miserum pastorem!) raucaque luctu

UVA. BHSC. BU 06120

Flebile ſtridebit, dominoſque fatebitur ignes.
Dicite crudelem, mea carmina, dicite Niſam.
At tu, nil Lycidan quoniam miſeraris amantem,
Ferrea, nec mites inter numeranda Batavas,
Extremum extremumque vale. nos, ferrea, rurſus
Ferrea, nos, tumidum metiti Nerea, poſthac
Culta Caledoniis habitabimus arva Britannis,
Et rapidum Tameſin, & aduſtam frigore Iërnen.
Qua pater Oceanus Rutupini litoris oram
Indomitis ferit aſper aquis. hic vivere certum eſt;
Hic profugas paſcemus oves, tibi forſitan olim
Optabis Lycidan ſociali fœdere junctum,
Et noſtri deſiderio torquebere fruſtra.
Parcite crudeli, mea carmina, parcite Niſæ.

EPITHALAMIUM

In nuptias Iohannis Frederici Gronovii & Adelheidæ Tennuiliæ.

NOx ô beata, Nox beatior quavis
Emerge luce. prome roſcidos vultus,
O ter beata, prome roſcidos vultus;
Et incitatas effer ocius bigas.
Emerge cœlo. quid morare, Nox lenta?
Ignara, neſcis, quot jocique riſuſque,
Quot baſiorum ſuavè olentium meſſes,
Quot complicatis morſiunculæ labris,
Quot illecêbræ, quot tenace complexu
Salacitates te, beata, circumſtent?
Emerge tandem. te requirimus votis,
Te flagitamus, ô jocoſaſpectatrix.
Te teſte, quicquid hæret ignei ardoris
Gronoviano in pectore, omne promendum eſt.
Emerge tandem. ſola ſed nec emerge.

UVA. BHSC. BU 06120

At, ô beata, Veſperuginem tecum
Emitte cœlo. Veſperuginem blandum
Emitte tecum. nil agetur à ſponſo,
Quove erubeſcat, quodve lumine invito
Facetiarum ſpectet arbiter tantus.
Cœlum coronent undique, undique illuſtrent
Pictæ cohortes & manipuli aſtrorum.
Nec Luna noctiluca deſit in partem
Spectaculorum, ſubtrahatve ſe ſponſo:
Quam non ſeveram Latmos eſſe teſtatur.
Latmos jugoſus: cujus arduas cautes
Convertit in ſe ſæpe Diva nugantem:
Proterviore dum petulca complexu
Pectus mariti dormientis invadit,
Et ora ſemihiantibus premit labris,
Linguâque palpitante pruriens geſtit.
Sed quo vagamur? Nox beata, veniſti.
At non inexoptata ſponte veniſti.
Jam conjugali pineam toro tædam
Obtendat Hymen, prævius que jam ſponſæ
Involvat ora flammeo maritali.
Hymen puſille, flammeum para ſponſæ.
Hymen puſille, præfer ô facem ſponſæ.
Hymen ô Hymenæe, quid, puſille, cunctaris?
Vos huc adeſte, lecte flos juventutis,
Sponſi ſodales, huc adeſte, ſed præſto;
Et diſſipate contubernium ſponſæ,
Turbamque inermem ſubmovete Nympharum.
En, ut miſellam & hinc & inde circumſtent,
Vixque irruente protegant ab incurſu.
Nuces, marite, ſparge. ſponſa jam rapta eſt.
Nuces, marite, ſparge. fabula exacta eſt.
Linquenda ſponſo ſponſa ſola cum ſolo.
Nam ſic oportet. ſponſe, nunc forem claude,
Nunc obſeratis adde peſſulum valvis,
Torumque victor occupa triumphalem.

UVA. BHSC. BU 06120

At nos, relicto utroque, compotes voti,
Iõ Triumphe, iõ Triumphe, cantemus;
Licentiores & feramur in lusus,
Lætumque Fescennina perstrepant tectum.
Quin & jocosâ te ciëbimus voce,
Thalassio, Thalassio. Quid exsultas,
Superba sponsa? tempus horridum advênit,
Ferale tempus, quo subacta nequicquam
Opem invocabis exigesque maternam;
Nec virginali jam superbies flore.
Quin, ut mereris, ô ferox & immitis,
Persolve seras pertinaciæ pœnas:
Rhamnusiamque vindicem tui fastûs
Tandem experire. sponse, nunc tuæ partes.
Hoc nunc agendum. promte masculas vires,
Gronovioque laxa frena da toti.
Ut, quem maritum nuncupabimus posthac,
Mox & parentem nuncupare possimus.

FINIS ALTERIUS LIBRI
JUVENILIUM.

UVA. BHSC. BV 06120

NICOLAI HEINSII DAN. FIL.

SATURNALIA,

Juvenilibus accenſenda.

—— ſtulta eſt clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

UVA. BHSC. BU 06120

LECTORI.

NE quid te moretur inter legendum, dum libelli quicquid hujus est percurris, de nonnullis es monendus, quæ videri subobscûra possunt, nisi nos præferimus tibi facem. Primo quod de *Cossi crista* & de *cristato Cosso* toties hic illic occurrit, allusisse nos ad hosce Cossi ipsius versiculos scito:

Quamque per externos cristam procul erigit hostes
Dux tuus, hanc Christo debeat ille suo.

tum ad illud ejusdem Cossi, *Tu cristam mihi Christe leva.* Sub finem præfationis quod *cum Ibera bellua belle bellari* desitum aio, ad illa perridicula Cossiana oportet referri,

—— *facta est vulpecula, belle*
Qui modo bellabat bellua bellus Iber.

quod ibidem annum, quo prodiere lusus hi Saturnalitii, poëtis valde funestum dico, Barlæi Hofdiique, vernaculi poëtæ, excessum cogitabam. Cætera interpretis, ut opinor, vix egent. Vale, mi Lector.

UVA. BHSC. BU 06120

Admirando Poëtarum pari,

CORNELIO COSSO

ET

FRANCISCO SANTRÆ

Viris sui amantissimis

ὁ δεῖνα

S. D. P.

CUm poëticus Senatus diebus proximis ad Apollinis Parnassii frequens admodum cogebatur, splendidi Heroës, inter Patres conscriptos, nemine prorsus dissentiente, convênit proque rato est habitum, uti penes vos summa ac majestas reipublicæ versificatoriæ nec tam consulari quam censoriâ dictatoriâque consisteret potestate. Hanc vestrum uterque provinciam adeo severe eaque cum integritatis laude tuemini, ut, cum alios fere omnes, tum ex iis etiam plerosque, quorum suffragiis ad id dignitatis fastigium evecti estis, è Parnasso ad Morboniam ablegaritis: nec recentiores tantum, si qui nuper in Senatum adsciti, furcillis ejeceritis, sed Principes Senatûs ipsos, hoc est, Romanos illos ac Græcos veteres, res suas habere sibi ac plorare jussos, &, si obloquerentur, pugnis alapisque probe depexos, vellent nollent, possessione ordinis poëtici exueritis. Jucundissimum, qui videre, spectaculum fuisse adfirmant. Quosdam turbinis instar è summo culmine ad imum devolutos fundum per præceps cerneres; vepri fruticibusque nonnullos mordicus adhærentes, ac in culmen eniti denuo tentantes. cæterum vano quidem hæc omnia atque irrito conatu. Numquam in gigantes telo trisulco sic sævitum Jovi.

Tros

UVA. BHSC. BU 06120

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habentur.

Liceat enim mihi pace vestra, Viri illustres, jure meritoque damnati à vobis auctoris malo versu in transcursu uti. Quippe quid agatis? Præceptoribus refero acceptum, quod bonos versus, hoc est vestris similes, non didici: nec refingi id ætatis possum. Morbum meum ingenue agnosco. Video meliora proboque; deteriora sequor. *Cæterum de poëtis antiquis quia institutus paullo ante sermo erat, detexamus primo hanc telam. Ita enim existimo, non ingratam vobis rei arduæ commemorationem fore, quam felici mehercules ave auspicati estis, parique ad finem perduxistis successu. Post latam igitur horrendi carminis legem,* SI QUIS INPOSTERUM VETERUM RECENTIORUMVE POETÆ NOMEN SIBI VINDICARET CENSORIBUS INVITIS, IISVE ALIUD AGENTIBUS STERTENTIBUSVE FORES MUSARUM PULSARET, CAPITAL FORE: *cum liberius antiqui obgannirent, quibus ea sacra tot jam seculis patuissent, in jus vocati primo, mox rapti sunt, quod lente festinarent. Græculi inprimis, quorum agmen Homerus ducebat, siticulosus senecio, & à poculis Apollini.* ἐφχιοινοχόον *ipsi appellabant. Cæteri ejusdem gentis sequebantur esuritionum patres, pænula ut plurimum diversis centonum coloribus variegata amicti: pannuceam Persius dixisset. E Diogenis dolio id agminis prorupisse crederes. Vultus iis exsanguis, & qualis famelicos decet: nec præter ordinem. quamvis enim probe concoquerent, succus stomachi omnis tamen in nutrimentum pediculosæ barbæ convertebatur, quam crure tenus spatio immenso longisque ambagibus se diffundentem alebant. Quid multis? Risum expressere spectantibus, idque eo magis, quod barbare loquerentur, nec intelligi à patribus conscriptis possent. Indicta igitur causa valere & vapulare jussi sunt. ad Romanos mox deventum, togatam gentem & magis seriam. Herculem profecto minus exercuit Augiæ stabulum; quam vos hic labor. Quod nisi Gothi ac Saraceni viri fortissimi, anteambulones vestri, Musarum jam olim sacra oportune interpellassent, plurimis facis poëticæ ex Helicone dejectis, quorum nec ad nos pervenere nomina, metus profecto erat, & quidem longe justissimus, ne sub numero pessimorum poëtarum succumberetis,*

UVA. BHSC. BU 06120

retis utcumque validissimi athletæ. Princeps agminis Romani Virgilius. Is primo statim congressu plurimarum convictus ineptiarum, hoc præsertim nomine, quod humi reperet, nec pro epici carminis majestate satis exsurgeret; cum desperata proditaque causa elabi accusantibus nequicquam tentasset, culpam fassus ac deprecatus est; Augusti Cæsaris & Mæcenatis suffragio se persuasum argutatus, ut lauream imponi sibi pateretur. Eam ante pedes vestros jam projectam vestrique arbitrii esse. Proximus ab illo Ovidius productus: meram ille plerisque visus venustatem spirare, sed detracta à censoribus larva febrim ipsam minus hoc homuncione febriculosam dixisses. Proximus illi Horatius, qui accusantes primo ridere, mox, ut serio rem agi vidit, dentem acuere ac frendere. sed frustra. Non enim plus in causa ceteris profecit. Magnus etiamnum reorum ordo restabat, qui, ut animadvertebant profligatos esse jam exercitus duces, diffisi malæ causæ, in pedes raptim se conjecerunt, ac spontaneum exsilium amplexi sunt. Sic de tota vetustate feliciter triumphastis. In recentioribus ineptiarum convincendis minus molestiæ devorandum fuit: quorum plerique, Itali præsertim, antiquorum fugientium vestigia legebant. ex vestratibus autem Grotius Heinsiusque. Nec deerant tamen in Senatu, qui censerent exsilii gratiam postremis illis duobus faciendam, quod populares vestri essent. retracti igitur ex fuga, & interrogati, Cur Græcas litteras didicissent, aliisque periculoso inprimis exemplo discendas commendassent, cur antiquorum partes secuti essent, cur Latinâ linguâ recens à vobis inventâ non uterentur, cum arroganter respondèrent, ita placere sibi, nec ad saniora revocari posse viderentur, postquam flagris aliquamdiu in eorum terga sævitum est, quo sponte properabant, redire jussi sunt. Hoc uno felices, quod infelicitatem suam non satis caperent: cum Virgilio enim cæterisque damnatis vapulare maluerunt & in exsilium pelli, quam vobiscum, Viri illustres, triumphare, ac pars magna augusti Senatus esse. Uni Barlæo locus inter conscriptos patres datus, ne cum solitudine credo Senatui conflictandum esset: Claudiano etiam, quia Barlæus id anxie petebat. verum eâ id lege, ne Barlæus umbra Claudiani diceretur inposterum, sed Barlæi Claudianus: & uter-

UVA. BHSC. BU 06120

que panegyricis centenis virtutes vestras posteritati ut commendarent. Neque enim severius atrociusque à Senatu in illos animadvertipotuit. Adco arduum est, post vosmet ipsos præclari aliquid de vobis dicere. Proscripti, ut audio, in Ascra pago sterili ac jejuno ad radices Heliconis sito apud Hesiodum devertunt, acrusticantur, in eoque jam toti sunt ut copias nescio quas conscribant, rerum aliquid novarum haud dubie molituri. De vindicta ac obsidione cogitari sunt qui ferant. Auctor itaque vobis sim, heroes bellicosissimi, id ut omni studio agatis, ne quid venæ rivulique ex poëtico fonte in adversariorum castra promanet: in hoc enim summa periculi præsentissimi maxime versatur. Consilium quidem meum si amplectemini, futurum est, ut sponte dissipentur, ac obsidionem solvant, quos armis, quia plures sunt, minus expedite deviceritis. Quidvis enim ferre poëtas molestiarum posse præter sitim, hisce præcipue Saturnalibus, non nescitis. Sedentes ut hostem atteratis, vestræ auctoritatis interest, ne priscis illis Romanis, quos capitaliter odistis, indulsisse quicquam videamini. Magnam magno animo fortunam sustineatis necesse est, Martiales viri. Omnium, quotquot Musis operantur, oculos in utrumque conversos credite: omnes belli eventum impatienter expectare. Ut terga adversarii vertant, flatu non nisi unico opus est. cæteros, quibus distenti turgetis, servate vobis. Hæc arma certe in promptu sunt, nec longe quærenda. Utrem Ulysseum ubique circumfertis ambo. Felicem utrumque!

—— Cui mittit ab antris
Æolus armatas hyemes, ——
Cui conjurati veniunt ad classica venti.

Vultus vestri fastidiosam majestatem non laturos certi estote: ne de terribili illa crista jam dicam. Porro ne nesciatis, quid in hostili exercitu rerum geratur, mitto hic vobis castrenses aliquot lusus, ut felicitatem ipsi vestram, post virtutes cæteras, admiremini, quibus jam invideri cœptum sit. Nam dicteriis hisce adeo vos non offendi confido, ut sine dubio Romanos respiciatis hic Imperatores, quibus triumphantibus militaris licentia ac dicacitas concoquendæ fuerunt, quo humanæ sortis admonerentur. Parem à vobis constantiam promitto mihi, Viri illustres. Injuriam

UVA. BHSC. BV 06120

riam hanc, si sapitis, contemnite. Paucos vobis favere cogitate, quia vos paucis. Aliter hæc sacra non constant. Plurimum solatii ac fiduciæ in æquitatis vestræ conscientia vobis esse debet. Veritatem odiis numquam non expositam, puto, haud ignoratis. Quid ab exulceratis animis aliud expectandum fuit? Vestris suffragiis se damnatos indignantur, & quia poëtæ ipsi non sunt, sui dissimiles esse vos nollent. Ego vero, ut illorum caussam non ago, ita nec sine commendatione hoc præterire possum, quod in mores vitamque vestram, qui nunc pessimus mali sæculi mos est, nihil hactenus, cum fortasse possent, dixerint scripserintve. Ita credi certe volunt, multa ex iis, quæ Ziricææ, Dordraci, Hagæ, alibique in conviviis ac circulis præclare à vobis dicta gestaque sunt, carpi potuisse, nec factum id tamen. Quam vere id jactent, vos videritis. Industriam interim meam in colligendis hisce lusibus, si probabitis, Viri illustres, brevi à me expectetis volo Lexicon non minori diligentia contextum ex vocabulis ac phraseologiis prope infinitis, quibus primi, non parvo reipublicæ litterariæ bono, linguam Latinam ditastis, locupletastis: ut jam nihil caussæ sit, cur antiquis supplicare debeamus. Valete, Viri heroes, magno malorum poëtarum malo prognati, & quia cum Ibera bellua Bellona vestra belle bellare desiit, ad bellum hoc civile vos accingite. Videtis quam argutias vestras amem. Anno poëtis valde funesto, CIↃ IↃC XLVIII. *mense Saturnali.*

UVA. BHSC. BU 06120

Cornelio Cosso, poëtæ & poëtarum censori æque magno.

COrneli, Aŏniæ medulla rupis,
Saturnalitium tibi ecce munus
Musas mittimus, haud tamen severas,
Sed dignas Genio optimi dierum.
Si damnabimur inficetiarum,
Ut frontees nimium Catonianâ,
Censor maxime temporum tuorum;
Si fatum manet hoc meam Thaliam,
Plus nugax tibi ut arguatur æquo;
Ad te, vir bone, provocabit ipsum:
Cui nusquam modus est ineptiarum,
Toto vivitur & December anno.

Ad Lectorem, de Cosso & Santra mirificis versificatoribus.

QUanta injuria vapulare passim est
Musæ, candide lector, huic protervæ
Illos terribiles duos poëtas,
Belli fulmina, nec parum peritos
Martem sanguineo ciere cantu!
Quos convivia, quos corona vates
Laudant ebria, trossuli forenses
Quos plaudentibus approbant puellis:
Illis interea valere jussis,
Quotquot tempore claruere prisco.
Ævi quam placet hoc acumen hujus,
Cui crimen vetulam probare Musam est!
Corneli armipotens, paterque Santra,
Bellonæ caput entheæ dicatum,
Partam ut gratulor hanc utrique famam!

UVA. BHSC. BU 06120

At vobis male sit, mali poëtæ,
Si qui laudibus invidetis illis.
Vatum rumpere quicquid æmulorum es.
En cor Mæonidæ! en jecur Maronis!

Ad Excellentissimum Principem, Iohannem Mauricium Nassavium, Brasiliæ apud Americanos præfectum, de panegyrista ejus Santra.

SI forte inspicies, quod vix licet, inclyte ductor,
Patria cum totum vindicet una sibi,
Si tamen inspicies cantoris frivola Santræ,
Quîs alapas meruit Chœrilus iste tuas,
Turbatos animi preme, victor Americe, motus;
Justa nec offensæ frena remitte suæ.
Clementer peccata feras noxamque rogamus:
Omnem quîs liquido constat abesse dolum.
Obruit insignes lutulentâ sorde triumphos:
Excussit capiti laurea serta tuo.
Culpa gravis, fateor: sed quam sua pœna sequatur.
Absit, ut invictâ vapulet iste manu.
Nostrum opus est vindicta tui: medicabimur ægro.
Jam nunc auriculas dejicit, ecce, suas.
Pauperiem quadrupes quam fecit, tergore par est
Ut luat. hæc scuticæ credita cura meæ.
Nec male res cessit. jam cauta silentia doctus
Ille tuus mysta est, ille poëta tuus.
Nam qui Mæonides sibi visus & Ennius alter,
Id quoque nunc Samiæ, quod silet, artis habet.

UVA. BHSC. BU 06120

Cossus carmine facetissimo, quod ipse Sententiam Catonis nuncupavit, fœderatorum Belgarum Ordines monet, pacem cum Hispanis ineundam non esse.

MArtia discordes commiserat area Belgas,
Horridaque in Batavos arma movebat Iber:
Inde fatiĝatæ post mutua vulnera partes:
Cladibus en fractos Pax miserata viros:
Pax inopina viris excussit cædis amorem,
Jussit & annosa projicere arma manu.
Jamque erat, ut scabrâ rubigine tela perirent,
Versandâque chalybs contereretur humo.
Id fore cristati mens non tulit enthea Cossi,
Officii Batavos admonuitque patres.
Arma negat ponenda, jubet spem ponere in armis:
Asturibus nullâ nil prius esse fide.
Hic sese explicuit facundia prodiga totam,
Stentoreis aliquid fortius ausa sonis.
Quanti est, consiliis, Proceres, sapientibus uti!
Si sapis, hunc audi; Curia surda, virum.
Nil rigidi monitus miretur Sparta Lycurgi:
Nil se Cecropiâ jactet in arce Solon:
Legiferis fœcunda viris, age cede, vetustas.
Hoc tibi præponunt sæcula nostra caput.

Alind

UVA. BHSC. BU 06120

Aliud de eadem Catonis sententia.

VApulet insulsi nugatrix illa Platonis,
Et fatua Hyblæo pagina melle magis,
Non admittendos quæ censet in urbe poëtas,
Et premit indignis Delia castra notis.
Actum erat, ô cives, de libertate Batava;
Tertius hic nobis ni Cato ferret opem.

Ad Cossum poëtastrorum Phœbum.

COrneli, Batavæ laus unica pæne Thaliæ,
Carmina qui plectro grande sonante canis,
Saltantes Satyros imitantia, quæque tremendo
Per salebras lapsu præcipitata ruunt,
Cum genus id properes vel carmina mille per horam,
Carmina facta tibi quis numerosa neget?

Effigies Cossi.

COssus hic en ille est, hæc Cossi vatis imago.
Quanta sub intrepida prælia fronte latent!
Seu cataphractus eques phaleris metuendus oberrat,
Et cristam Aönio tollit in astra jugo;
Pierides dant terga: levi seu ludit avenâ;
Hæc quoque Mæonium fistula vincit epos.
Par adeo similisque sibi est. levat ala volantem,
Tunc etiam, cum se deprimit, astra terens.
Sic, mare ubi tumuit, decimæ furit impetus undæ:
Monte rapax pronam sic agit amnis aquam.
Denique quod docuit te Dædalus, Icare, nusquam,
Quod nusquam docuit Sol Phaëthonta suum,
Cum cadit, (usque adeo virtus secura ruinæ est)
Fallit, & à tactâ robora sumit humo.

UVA. BHSC. BU 06120

Hoc habet Antæi: cui cum par hac sit in arte,
Jure satum Terrâ matre fuisse putes.

Cossi metaphrasis vernacula Psalmorum Davidicorum.

CUm te susciperet, lector studiose, docendum
Cossus, ut argute quidlibet ille facit,
Quid bona carminibus distarent carmina ineptis,
Stridenti stipulâ quidve canorus olor,
Exhibuit populo ridendum veste Batavâ
Vatis Iëssæi nobile scriptor opus.

Ad Aulum, de Santræ poëmatis.

SAntra meus magnum se venditat, Aule, poëtam.
Hoc à se fieri bibliopola velit.

Ad Cossum, de encomiastis Santræ.

CUm tot diserti totque masculi vates
Santræ cothurnum deferant Maronêum,
Meritamque frontem lauro Hyantide obnubant,
Numquid putantur jure, Cosse, nugari,
Dissentienti qui librario accedunt?

UVA. BHSC. BU 06120

Ad Franciſcum Guyetum poëtam Gallum Batavomaſtygem.

GAlle quid exagitas Batavos inimice poëtas?
Spiſſa ſupercilio nubila deme tuo.
Quid grave paucorum juvat addere crimen in omnes?
Cur premit inſontes non ſua culpa reos?
Martia Apollineum cum ferret Roma Maronem,
Qui ſtipulâ raucum ſtrideret, Anſer erat.
En tibi Grotiacum terſæ brevitatis acumen,
Quale velit vati Bilbilis eſſe ſuo.
Barbarus eſt, veneres qui non intelligit illas.
Hoc ſi Galle, negas, (nam, puto, Galle, negas)
Dolia quîs cedant Danaeïa rumpere pœnis:
Siſyphio gravius pondere perfer onus.
Garrula te Coſſi recitantis Muſa moretur,
Laudatrixque ſuæ vox odioſa lyræ.
Si minus hoc pœnæ eſt; obtundat Santra canendo.
Horret adhuc diros mens tremebunda ſonos.
Nil gravius me, Galle, tibi puto poſſe precari:
Te certe gravius nil puto poſſe mihi.

Ad Caſparem Kinſchotium; de Santra incomparabili nugatore.

PEſſima quod fundit, quod Apolline carmina nullo,
Potor Hyantææ Santra pudendus aquæ;
Hoc quod futilius nil vate, quod omnia ruris
Plenus, Hyperboreo frigidiorque gelu;
Jure mei frendent indignanturque Batavi,
Nobilis Aöniæ pectine turba lyræ.
Tu quoque das juſto, Kinſchoti, frena pudori,
Et magnum cuperes diſſimulare nefas.

UVA. BHSC. BU 06120

Horret abortivi portenta Batavia partus,
Seque ſolœciſmi non negat eſſe ream.
Hoc velit opprobrium titulo miſeranda vel omni,
Mille velit meritis hanc abolere notam.
Territus ad ſtrepitum citharæ Latous ineptæ
Ceu quondam Inachiâ vertit ab urbe rotam.
Mittite, ſi ſapitis, (decet hunc locusille) Batavi,
Solis ad occiduos mittite rurſus equos.
Hoc fugiunt Phœbi monſtrum juga: parcite Phœbo.
Si petet Eoos, hîc quoque Veſper erit.
Aut, quia fatale eſt, ut Delia templa profanet,
Tangat & illotâ myſtica plectra manu,
Helleſpontiacas Sileni vector ad aras
Quod fuit, hoc ſacris, Phœbe, ſit ille tuis.

Parodia Catulliana, ad Coſſum & Santram, eorumque ſociennos, Virgilianæ poëſios contemtores.

NUgax taberna, voſque contubernales,
E non ferendis prima vatibus pila,
Solis putatis eſſe lauream vobis?
Solis licere, quicquid eſt poëtarum
Explodere, & putare cæteros blennos?
An, quod frequenter convenitis inſulſi,
Centum aut ducenti, non putatis auſurum
Me defricare tot dupondios vates?
Atqui putate. namque totius vobis
Tergum tabernæ jam ciconiis pinſam.
Tibi præter omnes une putida è turba,
Corneli, opaca quem ferum facit criſta.
Poëta namque, quem, fatente vel Momo,
Primum è poëtis conſtat eſſe Romanis,
Quem tantum amamus, quantum amamus haud quemquam,
Pro quo mihi ſunt bella ſæva pugnanda,
Ridetur illic; ſibilis cachinniſque

Male

UVA. BHSC. BU 06120

Male hunc habetis ; & quidem, quod indignum eſt,
Omnes inepti & ſemitarii vates.

Santræ poëma panegyricum emtores non invenit.

O Pudor ! ô mores ! ô ſæcula ! ſcilicet actum eſt.
Nam quid barbarius tempore, Santra, tuo ?
Vendibilis non eſt Mauricias. idne ferendum ?
Idne potes crimen, Phœbe miſelle, pati ?
Nil profecturis ut parcas, Santra, querelis ;
Utile conſilium, quod bene cedat, habe.
Tam male proſtantis mercare volumina Muſæ,
Mox ad Lectorem munus itura tuum.
En tibi conſilium : quod, ſi minus ipſe probaris,
Eſuriens certe bibliopola probet.

Ad eundem Santram.

VAtes diſerte, melle cujus Hyblæo
Hymettioque charta nectare exundat,
Vis vindicare injuriam tibi factam
Hoc in libello, tequeſplendide ulciſci ?
Vis enecemur ? vis, venuſte rumpamur ?
Vis adfici nos maximo malo, Santra ?
At tu ede rurſus, Santra, maximum librum.

Santræ

UVA. BHSC. BV 06120

Santræ illiberalitas, qui encomiastas suos nullo donavit exemplari suorum poëmatum luculentâ formâ ac typis splendidis descriptorum.

PAtroclianæ non inutilem sellæ
Musam arrogantis quisquis excutit Santræ,
Perire natos cum parente sudores;
Poëma si quis in famelicum impinget,
Quod nûtriendis fata destinant blattis;
Primum hæsitabit ad palatii limen,
Encomiorum sportula salutatus.
Hanc ostiatim corrogavit urbanos
Inter poëtas, ut modestiæ exemplum est.
Nam qua negare fronte carmen auderent,
Inpune cui nec Dî negaverint quicquam.
At Santra, parcos frigidosque præcones
Hos ut videbat, sobrieque adulantes,
Indignitatem ferre nescius tantam,
Turpemque certus expiare contemtum,
Ut vile qui nil spiret atque plebeium,
Excogitavit hoc merentibus pœnæ,
Quo comminisci nil acutius possis:
Ut, cum volumen prodiisset in lucem,
Venale nusquam nec parabile argento,
Munus poëtis ne daretur id nostris:
Moremque censor abrogavit antiquum.
De munere ipso quod fefellit elusos,
Minus jocosum est: id jocosius multo,
Scripti inficeti totque laudibus falso
Se jactitantis lectione fraudatos.

UVA. BHSC. BU 06120

Ad Franciſcum Santram, militem glorioſum.

CUm nihili ſis, Santra; velis nec id eſſe videri;
Sed titulos jactes ſemper, inepte, tuos;
Muſa tamen cur te non laudet noſtra requiris?
Tu quia, quod debes, non facis, illa facit.

Ad Santram ſcriptorem laudatiſſimum.

SAntra, cothurnati Muſas imitate Maronis,
Martia terrifico cui tuba flata ſono eſt:
Quem modo biſſenis Mauricias enthea libris
Jactat, & herõum nobilitavit epos;
Carmina criſtato nil concedentia Coſſo
Quod tuus in lucem nuper Apollo dedit;
Mæonida redivive, tibi te gratulor. at quam
Sæcula ſunt tantis noſtra minora bonis!
Quod tamen innumeros encomia poſcis amicos,
Debita ceu Muſæ jure tributa tuæ,
Hoc equidem factum, vir ſumme, modeſtius æquo eſt;
Obtrudi qui te ſic patiare tibi.
Buccina laudantum jam feſſa. quid exigis ultra,
Cum levet inſanam nulla Thalia ſitim?
Tolle tot ambages, & apertius incipe tandem,
Quam facis, in laudes ora movere tuas.
Cum ſpernas alios, à te cantere rogamus.
Iſta ſatisfacient carmina ſola tibi.

De Coſſo Zoïli ſucceſſore.

COſſus Hyantæo minitatur bella Maroni.
Phœbe, tenes riſum? pumilus arma movet.
Per latus hoc tibi pugna, pater, ſed certa, paratur.
Tela reſultabunt in caput iſta tuum.

A grue

UVA. BHSC. BU 06120

A grue Pygmæus toties totieſque fugatus
Nunc Jovis armigeram Marte laceſſit avem.
Sileni citharam vector ferit, & tua rurſus
Delphice, damnantur judice plectra Mida.
Mutatur facies in quaſlibet, omnia tentat
Coſſus, ut inſulſum ſe probet eſſe pecus.
Carmina nunc jugulat, nunc tangit carmina loro;
Filius innocuas ut Telamonis oves.
Dî tibi de criticis dent palmam, Coſſe, vetuſtis:
Cedat Ariſtarchi virgula, Coſſe, tuæ.
En tibi, cauſidicæ blatero ſtolidiſſime plebis,
En ſcuticæ ſtrictas in tua terga minas:
In te nam nobis potiori jure licebit
Hoc, in Virgilium quod tibi, Coſſe, licet.

Ad Ponticum de pretioſo Santræ poëmate.

CUm quicquid veterum Pelaſga nobis
Tellus edidit & Latina vatum
Illis, Pontice, comparare detur,
Quîs Mauricias eſt emenda nummis;
Cur deſit tamen hæc mihi requiris,
Cum nil carmine deſit è vetuſto.
Noli injurius eſſe, neve avari
Labem pectoris adfricare nobis.
Quam ſim, Pontice, prodigus videto:
Gratis hoc tibi pœnitere dono.

Ad eundem.

Coſſus bello Gallicano adverſus Batavam pacem favet.

CRiſtatus quod ſurgit apex in vertice Coſſi,
Deſine mirari, Pontice: Gallus erat.

Ad

UVA. BHSC. BU 06120

Ad libellum.

CEssa, (jam satis est) libelle, cessa.
Nam ni desinis esse nugivendus,
Immani metuo loquacitate
Ne Cossos imiteris atque Santras.

EPISTOLA FAMILIARIS

Ad Franciscum Santram, in qua & de Cornelio Cosso agitur.

AMice Santra, si tamen nostri es memor,
Ne nullo amicis jure me adscribam tuis;
Aureśne verus accidit rumor meas?
Aulâ exsulantem rure tun' vitam trahis,
Rus pridem in aulâ, jamque par junctus pari?
Mutatus ut nunc Hectore ex illo jaces,
Qui quondam in orbis limite extremo novi
Magno cluebas Imperatori comes!
Secute jam minora, sed juris tui.
O ter beate, qui procul negotiis
Te digna rura bubus exercens colis?
At nec paterna rura, nec bubus tuis.
Cur turbat hic te mente dejectum status?
Sapientis est latere. fer sortem, ut decet.
Quid verò amores? quantus Haganas nurus
Mœror perurit vatis orbatas sui!
Ut virginum te friget amoto chorus!
Quîs basiator optimæ quondam notæ
Os appetebas ore mordicus tuo.
Nunc suaviari Thestylis sub te procax
Ritu aulico erudita fortassis paret,
Dum disciplinæ labra permittit tuæ.
Sed hoc quid ad me? Diva viderit Paphi,

Quæ

UVA. BHSC. BU 06120

Quæ numen in pediſſequis dudum tibi eſt.
Anne, ut ſolebat, Delphicus vati ſuo
Fida adflat ora myſtico ſilentio?
Tutamque latebram non revelandis ſacris
Hac ſede fixit arbiter plectri Deus?
Anne alta, amice, fontis Aönii in vado
Potas leporum carminumque oblivia?
Lethenque præſtat lympha Permeſſis tibi?
An rure ſurdo dum tubam inflatu moves,
Auditor atque auditus hic ſoli tibi
Traheris trahiſque? qualis Oeagri genus
Rhodopæus Orpheus ſaxa vocali lyrâ
Animata flexit, flexit agreſtes feras.
Rupes ut abſint, abſit auditorio
Cantantis arbor, juſſa quæ ducat choros,
Et tot volûcres totque quadrupedes feræ;
Ne quid moleſtè ſolitudinem feras,
Omne hoc theatrum tute ſufficies tibi.
Quare, ô venuſte, ſi quis eſt ſenſus ſuper
Tanto expetitæ laudis ac famæ ambitu,
Si liberalitatis antiquæ memor
Necdum exuiſti degener notam indolem,
Cedo invidendos Martiæ cantus tubæ.
Venam aruiſſe quippe quis credat tibi,
Hanc tam adfluentem divitemque, ut nil magis?
Celare noli, quicquid enixus boni es,
Carum ſodalem, quemque perdite tuas
Amare Muſas pertinax opinio eſt:
Amare tantum, quantum Apollo Delphicus,
Quantumque amicus ille veſter haud ſuas;
Aium facete quem Locutium vocant:
Quod mille verſus, (eſt ubi & plures ſimul,
Totoſque libros) unico ſtans in pede,
Cuicumque recitet quolibet palam loco,
Ac continenter obvios cantu necet;
Ut conqueruntur hi, necare quos ſolet:

UVA. BHSC. BU 06120

Hami haud ineſcat namque me bolo ſui.
Huc adde, quod miſerrimum recte volunt,
Nullam relinqui ſpem ſemel captis fugæ.
Hirudinino more quîs ſtringit manum,
Togæ involatam aut perprimit laciniam.
Nolint velintne ſuſque deque id æſtimat,
Et devoranda ingratiis moleſtia eſt.
Tum concitato vocis elatæ ſono,
Trucique geſtu carmen horrendum intonat,
Æſopicæ quod turget in ranæ modum:
Cuique haud Camœnas Smyrna componat ſuas,
Cui Mantuanam Roma ſubmittat tubam,
Ullam meretur ipſe ſi de ſe fidem.
Quin pæne verſus ſinguli facto eſt opus
Peculiari laude captivo à choro
Impertiantur, grande ſingulis ſophos
Propere ut paretur; aut periculum in mora eſt,
Mox hæſitantum ne præoccupet vices,
Ac primus ipſe mimus applaudat ſibi.
Si qui, ſubinde quod fit, adſtantum è globo
Interloquuntur, imperat ſilentium;
Supercilîve cogit nube in ordinem.
Niſi obſequuntur ocius; vis poſt minas:
Dextrâ apprehenſos exigit choragio,
Ac ſupplicantes multa proturbat foras,
Ut nectare hujus neutiquam dignos fari,
Et quîs palatum calluit lautam ad dapem,
Nec ante meta adfulget hiſtrioniæ,
Anhelitu quam pulmo diſruptus crepet,
Ægerque laſſo ſuccidat poples genu.
Pandionis ſic gnata ſilvarum decus,
Dum cruda fata prolis abſumtæ gemit,
Altum querelâ perpeti complet nemus,
Noctemque cantu ducit & cantu diem.
Plerique ſed poëtis inſitum hoc dolent,
Subſellii inter infimi haudquaquam viros,

UVA. BHSC. BU 06120

A quîs nec ipſe contumax diſſentio,
Plebi recludant ſacra quod paſſim ſua,
Cum myſticis gaudere Latoum ſciant.
Et forte eadem labe non prorſus vaco.
Quamvis nec inter ipſe conſcriptos patres
Gentis canoræ clarus aut pedaneos;
Nec Caſtalim vel ſomnians umquam bibi,
Labra unde vobis perpluunt totos dies.
Hæc exarabam menſis Auguſti Eidibus,
Quem feriatum & luſibus poëticis
Scis prælegendis eſſe ſollemnem ac ſacrum,
Loquacitatem crimineris ne meam.
Sic, quicquid hoc confabulatiunculæ eſt,
Mens geſtiebat fundere in caros ſinus,
Dum tempora otioſus ingrate tero:
At tu, ſonore Santra, feſtivum caput,
Vide invicem ac memento mox communices,
Si quid leporum rura dictarunt tibi.

FINIS POEMATUM NICOLAI HEINSII.

JOAN-

UVA. BHSC. BU 06120

JOANNIS RUTGERSII

POEMATA.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BU 06120

VIRO ILLUSTRI OPTIMOQUE

JOANNI CAPELANO

Regio Consiliario.

NICOLAUS HEINSIUS

S. P. D.

MAgno Joannes Rutgersius familiæ nostræ ornamento fuit, majori futurus, si aut morte immaturâ non occubuisset, aut quæ in litteraturâ humaniori parabat nec pauca nec protrita, potuisset absolvere. Anno ætatis vicesimo tertio necdum exacto, vix ad suos ex Gallicâ peregrinatione reduxerat, (cui pro more atque instituto gentis nostræ biennium totum impenderat) in Septentrionem à Gustavo Magno evocatur, regni Sueci negotiis admovendus. Dum in eo totus est, ut provinciam à Rege tanto sibi demandatam gnaviter fideliterque administret, dum varias hic illic per Europam obit legationes, lento ac fatali demum in Batavià nostrâ morbo correptus, inter suorum complexus, (dum quintum ad potentissimos fœderati Belgii Patres legatus mittitur) anno ætatis sexto & tricesimo, regiæ clientelæ tertio decimo, expiravit. Quorum omnium si rectè subducetur ratio, non difficulter apparebit, tempus vitæ potissimum, quod studiis lucubrationibusque dedicari poterat, aliud agendo illi periisse. Sed in his operosè recensendis ut hæream, vix videtur necessarium, Joannes Capelane, Vir præclare, cum Rutgersio ipsi per quam familiaris olim vixeris Lutetiæ; ut nescire nil horum possis, & si quid forte nescias, id ejus te vita, quam proinde hic addendam curavi, abunde sit edoctura, ab ipso ante mortem conscripta; sic flagitante Joanne Meursio, viro & celeberrimo & Rutgersiani nominis in paucis studioso: qui popularium suorum eruditione præstantium imagines atque elogia tum luci adornabat. Exstant hodie in publico, hominumque doctiorum manibus adhuc teruntur Variæ nostri illius Lectiones: Venusinæ supersunt edendæ, quæ in Horatio illustrando

UVA. BHSC. BU 06120

partem potissimam occupantur; opus imperfectum quidem, & abruptum intempestivâ auctoris morte, multâ tamen eruditione refertum, quod à tenebris ac blattis primâ occasione vindicabo. Ex *iis quanta doctrinæ vis in uno homine confluxerit, quod ingenii ac judicii acumen, non paucis argumentis evinci potest. Musas ejus interim luci nequaquam duxi invidendas: quas sparsas ac errantes hinc illinc in unum collegi. In poëticâ palæstrâ non quidem ex professo sese exercebat noster, aut ad carmen scribendum frequenter devertebatur; sed vel sic est agnoscere ex paucis pagellis amœnum hominis & versatile ingenium, cuique nihil non feliciter cedebat. Tria poëmatia, quæ primo loco damus, ut & versus in Tuningii Apophthegmata inque Scaligeri ac Clusii mortem conscriptos, ante annum ætatis vicesimum, dum studiis in Academiâ Lugdunensi Batavâ dat operam, prodire passus est: quo majori cum veniâ sunt legendi. Tibi autem, mi Capelane, cur libellum hunc præ cæteris amicis sistam, non desunt rationes æquissimæ: quod & Rutgersium affectu perquam constanti olim sis complexus, & me Rutgersii heredem pari nunc amore prosequaris. Tantus præterea es in hoc studiorum genere, ut, poëšin qui te rectius intelligat, sit nemo. Id quod satis superque versus Gallici à te in lucem dati testantur: plenius aliquando testabitur elimatissimum Poëma, Virgo, inquam, tua Aurelianensis: cujus expectatione suspensos jampridem nos nimis lente ac inclementer (nam quid dissimulem?) trahis. Sed in laudes istas ne uberius me diffundam, partim incomparabili tuâ fit modestiâ, partim illa necessitudine, quæ mihi tecum intercedit jampridem longe artissima. Aliis igitur candorem in te summum, aliis mores integerrimos, moderationem animi eximiam; suavissimam indolis amabilitatem, assiduum in demerendis amicis studium, cæteras denique virtutes tuas relinquo commendandas: quibus effeciſti, ut, cum ingenio sis omnium invidiâ dignissimo, omnium tamen amorem consequaris. Vale. Nonis Septembribus* CIↃ IↃC LIII.

VITA

UVA. BHSC. BU 06120

VITA JOANNIS RUTGERSII ab ipso conscripta.

PATER Joanni Rutgersio fuit Vinandus Rutgersius: Mater Cornelia Musia ab Holy, familiâ & vetere & nobili, quæque complures & illustres Reipublicæ Batavorum Viros dedit. Inter quos avi materni, Jacobi Musii ab Holy, recens memoria est; qui plurimis ac amplissimis honoribus perfunctus, postremum ex summo Hollandiæ Quæstore Prætor Dordrechtanus, simulque Balivus Zuythollandiæ, quæ dignitas & summa est, & inprimis nobilis, creatus, ei muneri magnâ cum justitiæ ac integritatis famâ præfuit. Hujus filius Arnoldus Musius ab Holy in Zuythollandicâ præfecturâ patris successor, nuper, ingenti omnium bonorum luctu, ac relicto singulari sui desiderio, è vivis excessit. Vir, quo docente etiam ipsa Virtus virtutem discere poterat. Supersest nunc ejus frater Hugo Musius ab Holy, Eques, Ketelæ ac Spallantæ Dominus, gestis militiæ rebus, domi honoribus, clarissimus. Paterna familia honesta & clara apud suos, sed cujus decus pater Vinandus Rutgersius animi magnitudine plus quam privatâ non parum auxit, educatis in literarum studiis per quam liberaliter quinque filiis, ac splendidissime suppeditatis in varias peregrinationes sumptibus. Quorum tres tamen literarum pertæsi animum alio converterunt; perstitêre duo, Vinandus è priore conjugio (è duabus enim uxoribus pater liberos tulit, postremum matrimonium, quod propè septuagenarius iniit, sterile fuit) genitus; ac ille, de quo nunc sermo est, Joannes Rutgersius. Is anno cIↃ IↃ LXXXIX, XXVIII Augusti, Dordrechti, quæ metropolis est Hollandiæ, natus, ubi primum per ætatem licuit, literarum rudimentis imbutus est. Confirmatior paullò Gerardo Johanni Vossio in disciplinam traditur. Cujus temporis

UVA. BHSC. BU 06120

non ſine gratiſſima tanti præceptoris memoria ſæpè ac libenter recordari ſolet: illius etiam inſtitutioni acceptos referens quoſcunque poſtea ei Aula honores dedit. Anno cIↃ IↃ cv Lugdunum Batavorum in Academiam miſſus, non minori felicitate, & hoſpitem & doctorem nactus eſt Dominicum Baudium, cujus memoriam etiamnum perſanctè colit. Hîc ſexennium pænè vixit, carus & acceptus clariſſimis ejus Academiæ viris, inprimis autem divino Heroï Joſepho Scaligero, qui & moriens ſupremis judiciis eum legati honore proſecutus eſt; Danieli Heinſio, Equiti, cui unicam poſtea ſororem Ermingardim Rutgerſiam, in cônſtantiſſimi amoris pignus, elocari curavit; ac ei, quem diximus, Dominico Baudio. Inde in Galliam anno cIↃ IↃ cxi abiit; ac biennium, partim Lutetiæ in optimi & clariſſimi Viri Frederici Morelli domo, partim Aureliis, ubi & Licentiæ, ut vocant, in Jure, parentum magis obſecutus voluntati, quam ſuæ, titulum aſſumpſit. Blœſis quoque ac alibi hæſit. ubicunque vixit, præſtantibus ibi viris gratus. Ac dum Lutetiæ agit, Notulas aliquot in Horatium edidit, illectus pulchritudine potiùs editionis, quam tum parabat Robertus Stephanus, quàm quod ſe & adoleſcentem, & libris deſtitutum, in auctorem nobiliſſimum quicquam præſtare poſſe confideret. Libellum tamen publico favore, præter ſpem, exceptum augere, auctumque denuò edere ſtatuit. In patriam reverſus, optimam matrem pridie quàm ipſe rediiſſet mortuam offendit. Cujus exceſſum, qui anno cIↃ IↃ cxiii. xiii Septembris contigit, inſolabiliter luxit. Cumque ſe Hagam contuliſſet, ac Patronorum forenſium numero aſſcriptus ab occupationibus Curiæ fomenta doloris ſperaret, contra accidit, ut ingenio à ſtudiis hiſce ſupra quam dici poteſt alieno, mœrori etiam accedente tædio, luctus duplicaretur. Hæc adhuc erant, cum inopinatus planè caſus intervenit. Fungebatur eo tempore, potentiſſimi Suecorum Regis Guſtavi Adolphi nomine, Legati ad fœderatos Belgii Ordines munere, vir & honoribus & virtute ſummus, Jacobus Dykius, Eques, Salneccæ atque Soutevenæ dominus. Is cum à Rege mandatum haberet, ut ex his provinciis aliquem ſibi adduceret, qui in Aulâ Conſiliarii

UVA. BHSC. BU 06120

filiarii muneri par esset, Rutgersium ut iter secum capesseret, vehementer hortari cœpit. Heic aliquamdiu dubius hæsit. Terrebat prima tantùm adolescentia, tanto oneri ferendo impar; annum quippe vicesimum modò tertium ingressus erat. Contra ægritudinem animi è maternâ morte conceptam hac peregrinatione levatum iri sperabat. Quod si consecutus esset, satis amplum itineris, longi alioquin ac difficilis, fructum sese percepturum judicabat. Igitur ire statuit. Cumque ineunte Maio Legatum comitatus ex Hollandiâ solvisset, Stokholmiam proximo mense pervenit. Aberat eo tempore Rex in Livoniâ, belli cum Moscho caussâ. Quo cum Legatus se recipere statuisset, opportunè accidit, ut eodem tempore vir & illustrissimæ gentis vetustate, & omni virtutum genere incomparabilis, Axelius Oxenstierna, Regni Cancellarius, istuc tenderet. Quâ occasione magno illi heroï ita se insinuavit, ut ab eo constantissime postea amatus sit, & ipse vicissim summâ eum pietate coluerit. Ut Nervam venit, Rex, commendantibus Cancellario ac Legato, Consiliarii ei honorem detulit. Ac licet, cum è patriâ discederet, nihil certi statuisset, ita tamen divinis illius invictissimi Regis virtutibus captus est, ut unum illum toto vitæ suæ tempore diem sibi honorificum illuxisse censeret, quo tanti Principis judicium meruisset. Oblatum igitur honorem accepit anno cIↃ IↃ cxIv, ipsis Kal. Augusti, cum nondum vicesimum tertium ætatis annum expleviſſet. Sed quod incompositas domi, ut qui incertus animi discesserat, res suas reliquisset, iis componendis commeatu impetrato in patriam cum Legato rediit. Unde proximo anno translatis sarcinis totum se in Sueciam recepit: prosequentibus eum Propemptici honore amicorum plurimis. Quorum, ut ingenii ac doctrinæ, principes, Daniel Heinsius & Hugo Grotius, divinis illud versibus præstiterunt: qui in vulgus editi passim nunc leguntur. Ubi Stokholmiam appulit, iterum Regem abesse cognovit. Is tum Plescoviam obsidebat. secundùm igitur in Livoniam navigare coactus, singulari rursus felicitate, Cancellarium itineris ducem habuit. Nervæ, Regem

UVA. BHSC. BU 06120

præstolatus, aliquantum substitit; quem & ab obsidione re-deuntem, per Ruthenos ac Carelios, acerbissimâ hyeme, Abogiam usque, Finnoniæ metropolim, secutus est. Unde ineunte Maio, anno cIↃ IↃ cxvi, ob gravissima negotia ad illustrissimos fœderati Belgii Ordines ablegatus, anni sequentis initio demum rediit. Ac, Augusto mense, eodem redire jussus, cum Kal. Februariis sequentis anni reversus esset, quarto post die remittitur. Quâ Legatione mandata etiam ad Illustrissimum Orientalis Frisiæ Principem, Regis patruelem, & Senatum Lubecensem habuit; annoque cIↃ IↃc xix, ineunte rediit. Ita intra triennium tribus in patriam legationibus, semper re feliciter ac pro Regis exspectatione confectâ, defunctus est. Neque defuit generoso Principi in officiis agnoscendis liberalitas, cooptato eo solenniter, maximâque Regni procerum frequentiâ, in nobilitatis Suecicæ ordinem, adjecto etiam aureo non exigui ponderis torque. Id xxi Decembris anno cIↃ IↃc xix accidit. Turbatæ erant eo tempore gravissimo motu Bohemorum res, qui, Ferdinando Cæsare abdicato, Fredericum Regem substituerant. Eo Rex cum Rutgersium destinasset, pridie Non. Januarias cIↃ IↃç xx. Stokcholmiâ discedit. Ac, peractis, in itinere, quæ ad Senatum Lubecensem ac Hamburgensem, Principes, Bremensem Archiepiscopum Regis avunculum, fratres Megapolitanos, præcipue vero Electorem Saxoniæ, habebat, mandatis, ineunte Aprili, Pragam venit. In quâ urbe fatalis, quæ vi Idus Novembreis secuta est, cladis ac calamitatis particeps fuit, amissis, præter alia nonnulla, chartis ac libellis. Reliqua ministrorum fides, quorum aliquot in urbe manserant, conservavit. Vix redierat, cum ad Daniæ Regem, Archiepiscopum Bremensem, Megapolitanos ac Holsatiæ Principes, aliosque mittitur, quos Rex Daniæ Segebergæ de re communi deliberaturos, invitato illuc per ablegatum etiam Rege, convocârat. Id evênit, mense Februario anni cIↃ IↃc xxi. Sed conventu, antequam eò perveniisset, jam soluto, mandatis tamen apud Regem Principesque expeditis, mense Maio reversus est.

UVA. BHSC. BU 06120

est. Ejusdem anni Septembri mense quartùm ad Ordines missus in sequentem Julium Hagæ substitit. Quo tempore, cum eodem anno conventus delegatorum Sueciæ ac Poloniæ, qui de pace vel induciis, inter utrumque Regem ac Regnum agerent, indictus esset, Rex ut ei conventui operâ ac præsentiâ suâ adesset voluit; eoque nomine Rigam Lettorum evocatus est. Peracto conventu, una cum illustrissimo Cancellario, mediâ hyeme, itinere per Lettos, Livones, Esthiones, Carelios, Finnones, aliasque Septentrionis gentes, facto, ineunte Martio anni CIↃIↃCXXIII, in Sueciam, non sine summo discrimine, pervênit. In Alandico enim sinu, sub ipsam noctem, cymba, quâ vehebatur, glaciei impetu, quæ vento acta ad littus se collegerat, retrorsum in mare ad tertium milliare rejecta est. Sed glacies, quæ ventorum vi conferta ac densata consederat, patens æquor nacta; circa auroram se diffudit, ac periclitanti pervium iter præbuit. Ita salvus ad Regem venit. A quo, eodem anno quintùm in Hollandiam missus, expeditis in itinere ad Hanseaticas aliquot civitates mandatis, ejus nomine apud Ordines hærere jussus est. Nunc in eo munere Hagæ vivit. Atque hic Joannis Rutgersii in hunc usque diem vitæ cursus fuit. In qua nihil æque deplorare solet, quam quod perpetuis itineribus occupatus, nulla quiete concessa, literis, quibus tantopere capiebatur olim, nunc nihil, præter amorem, præstare possit. Quo vel solo tamen doctissimorum hominum studia ac favorem meruit, certe consecutus est. Testantur illud, præter alia, tot præclara præstantium virorum monumenta: quæ sub auspicio nominis ejus edita passim exstant, Dominici Baudii, qui ei dissertationem super Induciis Belgicis sub Latini Pacati nomine editam inscripserat, quæ epistola ab ipso Rutgersio, quod variis, ut fit, studiis ea dissertatio exciperetur, tum suppressa, nunc in secundâ Epistolarum Baudii centuriâ legitur; Joannis Meursii, Gasparis Barthii, Othonis Heurnii, Joannis Kirchmanni, Jani Gebhardi, Geverarti Elmenhorstii, Jacobi Zevecotii, Joannis Loccenii, aliorumque. Inter quos eum immortale Danielis Heinsii in-

UVA. BHSC. BU 06120

sii ingenium, post Paræmias Apostolii aliaque quædam dedicata, divino de Contemtu Mortis opere ad illum scripto, æternitati consecravit. Scripsit ipse Variarum Lectionum libros VI. in quibus scriptores aliquot veteres primus publicavit; paratque, si hoc otium paulo diuturnius ei contingit, Venusinarum Lectionum ad Horatium libros IV.

Obiit Hagæ Comitum in Hollandia, Anno
CIↃ IↃC XXV, XXVI Octobr. Gregor.

EPI-

UVA. BHSC. BU 06120

EPITHALAMIUM
DICTUM
POMPEIO DE ROOVRE,
ET
ANNÆ CASIMBROTIÆ.

VIderat armorum rabiem, funeſtaque ſigna
Cypris, & irarum vacuas ceſſare cohortes?
Gradivumque ſuum teneris complexa lacertis,
Hactenus infeſtis, inquit, pugnavimus armis;
Quod ſupereſt, pugnabo meis. Riſiſſe Cupido
Fertur, & auratas pharetra ſtrinxiſſe ſagittas.
Eſt locus antiquis Batavorum in ſedibus, atras
Hic ubi ſunt Patres ſoliti componere lites.
Quem propter multos incædua ſilva per annos
Surgit, & auguſtam gremio complectitur aulam.
Illic & Veneri longè gratiſſima myrtus,
Et lentæ ſalices, & opertæ vitibus ulmi,
Et diffuſa ſuos extendunt robora ramos.
Cœlitibus locus ille ſacer. Quo pulchra Dione,
Obſcuris quoties tellurem amplectitur umbris
Heſperus, & nitidos oſtentat Delia vultus,
Nympharum ſtipante ſolet ſe ferre choreâ.
Illic marmoreis quæ præſunt numina lymphis
Naides, atque illic tacitas habitantia ſylvas
Numina conveniunt: quarum pars verrere chordas,
Pars incompoſitos agili dare corpore motus,
Pars in mole ſedens penſo devolvere fuſos:
At Venus eluſos juvenum memorare calores.
Hic primum innocuis hærentem amplexibus Annæ
Pompeium in vacuâ ſpatiantem vidit arenâ,

Ac

UVA. BHSC. BU 06120

At blandum ſubriſit Amor: pharetramque recludit,
Et patrias depromit opes. Juveniliter arcum
Corripit ex humeris, (humeris ſuſpenderat arcum)
Lunavitque genu. Vibrat manus altera telum,
Et penitus tactos defigit vulnus in artus,
Atque animæ condit latebris. Ille oſſibus ignem
Mox trahit attonitis, & aduſto pectore flammas
Concipit inſolitas. nec adhuc ſe ſentit amare
Infelix, dubiumque tamen præſagit amorem.
Ah quoties cupidos niveâ cervice lacertos
Implicuit! quoties roſeis dedit oſcula labris,
Non laſciva tamen; ſed qualia virgo ſorori,
Qualia vel nato genitrix, vel nata parenti
Non dubitet libaſſe ſuo. ſed cura Senatus
Avocat, & patrias ſecedere cogit ad arces.
Quid faciat? duras imponis, Patria, leges.
Nollet abeſſe tamen. juvat ô, juvat illa tueri
Lumina, quæ gratos animo peperere dolores.
Sed Patriæ ſuperavit honor prædulcis. ut ire
Conſtituit; vigiles curæ gemituſque ſequuntur
Poſt dominum, & curru lacrymæ vectantur eodem.
In dominâ mens omnis erat: quam ſiſtit ubique
Præſentem violentus Amor, ſemperque videri
Se putat huic, ſolitaſque audire ac reddere voces.
Ah quoties triſtes tentavit fallere curas
Carminibus! quoties dominam nomenque beatum
Injuſſæ ſcripſere manus! mox blanda papyrus
Mittitur, ut tacitos domini commendet amores.
Virginei juvat haud faciles tentare receſſus
Pectoris, haud molles penitus luſtrare latebras;
Adjungitque preces. nullis tamen illa movetur
Obſequiis; matremque libet præferre marito.
Quid facis, immitis nimium? quid vota moraris?
Quid renuis miſſas audire & reddere voces?
Cur nulli gemitus potuerunt flectere mentis
Conſilium crudele tuæ? quonam uſque reſiſtes?

Cur

UVA. BHSC. BU 06120

Cur tanti est tibi matris amor? cur nomen inane,
Virginitas socio viduatos conjuge lectos
Præponit thalamis? utinam, si pulchra fuisti,
Nec tam dura fores! augeri pectore curæ
Interea, cæcumque furit prorumpere vulnus,
Nec patitur se cura tegi. subit impetus ire,
Durdrechtoque procul dilectos quærere vultus.
Utque ratem subiit; clavum tenuisse Cupido
Fertur, & æratæ moderatus vela carinæ.
Sidereos oculorum ut verò conspicit orbes,
Substitit infelix, nec quid faciatve loquaturve
Invenit; attonitusque suo vix credit amori.
Nec secus exarsit præsentis imagine formæ,
Maturas avidus quam cum populatur aristas
Ignis, & ingentes latè depascitur agros.
Verum ubi disjecit nebulas dubiumque timorem
Cypris, & attonitæ revocavit gaudia menti,
Laxavitque viam voci; tum ferre negatos
Tum petere amplexus; ac flumina mellea fundens
Invitam expugnat penitus facundia mentem.
Paullatim non dura sequi; jam capta videri
Incipit; & dubitat. mox nec sua vota negare
Sustinet oranti Virgo, totoque recepit
Pectore Pompeium. piget ah, nolletque fuisse
Crudelis. nec jam patitur meminisse labores
Præteritos; tantumque timet non grata videri.
Felices nimium, quorum fortuna peracta est:
Quos Amor in tutâ thalami statione locavit:
Temporibus quorum Cythereia myrtus inhæret.
Felices nimium! vobis jam Vesper Olympo
Exoptata diu paullatim lumina tollit.
Hesperе, nam quæ te cœlo lux blandior extat?
Hesperе, præ stellis gratissime quîslibet unus,
Te matres, cupidæque nurus, te semper amantes
Sollicitis poscunt precibus, votisque requirunt.
At tu pelle metus animo, ignavumque timorem

O Vir-

UVA. BHSC. BU 06120

O Virgo, (extremum, quod te ſic alloquor, hoc eſt)
Pelle metus, dulceſque ſinu depone marito
Virginis exuvias. Sic dent tibi Fata nepotes,
Sic cumulent ſocios numeroſa prole penates.

POEMATIUM

Dicatum honori Præſtantiſſimi & Clariſſimi Juvenis

THOMÆ ERPENII.

SOl, qui tellurem flammanti ſidere luſtras,
Æternoque cies labentia ſæcula motu,
Hunc purâ da luce diem; nec nubila Phœbi
Involvant illuſtre caput. ſed lumine blando
Reſpice (ſi quidquam ſuperos fas poſcere Divos)
Cattigenaſque tuos, & magnæ mœnia Leidæ:
Scilicet ut propius tantos miretur honores,
Erpeniumque ſuum gaviſa Batavia ſpectet.
Me dotes traxêre tuæ, tuaque inclyta virtus
In carmen laudeſque pias, plectroque reſumto
Juſſere emeritum Muſas revocare Poëtam,
Atque ejuratas iterum implorare Camœnas.
Quid primum? quid deinde canam? junctoſne labores
Ingenio, ac longo vigilatas ordine noctes?
Non tibi fœmineo placuit torpeſcere luxu;
Otia non captata, & inertis munera ſomni.
Sed mens degenerem ferre indignata quietem
Neſcibat reſtare loco: ſed gloria dulcis
Pungebat, ſtimuloſque tibi dabat æmula virtus.
Ad tantæ ſtupuit magna incunabula laudis
Urbs; quæ Mattiacas inter prima emicat urbes.
At poſt quam tibi dulcis honos, laudumque cupido
Exacuit mentem, ac operum ad majora vocavit,
Tum cœli ſpatia & cauſas inquirere rerum;

Inge-

UVA. BHSC. BU 06120

Ingenii res visa tui est. quibus æthera flammis
Ornarit Natura parens. cur cærula Tethys
Æstuet, aut quare bibulis valletur arenis,
Et circum oppositas timeat perrumpere metas.
Scilicet ingenio labor hic, charissime, tanto
Dignus erat. nec te assiduas impendere luces
Tæduit, aut totas vigilando ducere noctes.
O quoties cœlique plagas, arcanaque rerum
Te matutinus rimantem vidit Eous,
Rimantem vidit paullo post Hesperus idem!
Mox ubi Naturam lustrasti sedulus omnem,
Ignavis & si qua vetat Natura recludi,
Te dignum Sophie duxit, quem pulchra laborum
Præmia, quem parti studio sequerentur honores.
Sed pudor ingenitus, placidæque modestia mentis
Munera rejecit: laurumque capessere jussus
Abnuis: & meritum non exorandus honorem
Haud prius admittis, quam te meruisse probasses.
Ceu trifidi indomitus gestator fulminis ales,
Cui pater ipse deûm dedit in genus omne volantum
Imperium, ob fidos rapto Ganymede labores;
Ut primum teneros ovis excludere fœtus
Vere datur, cum terra sinu viridante relucet,
Prolem sidereos vix natam obvertit ad ignes,
Ac Phœbi radios recto jubet ore tueri.
Quæ refugo instantes non passa est lumine flammas,
Arcetur nido, ac regnis pulsatur avitis.
At si qui rabidi flammantia lumina Phœbi
Erecto valet ore pati, fit fulminis hæres,
Et patrio nido, & regnis succedit avitis.
Par huic nuper eras, juvenum clarissime, tunc cum
Exploratores sprevisti interritus ignes,
Et nusquam trepido flexisti lumina visu.
Quo magis urgerent hostes, constantius ibas
Victor in adversos: nec passus ante relati,
Quam fugerent omnes, & adacti terga dedissent.

UVA. BHSC. BU 06120

Is vigor eloquio: teque hæc ſanctiſſima ſedes
Suſpexit, blandoque orantis ab ore pependit:
Flexit & attonitas facilis facundia mentes.
Plurimus hic civis, procerumque ampliſſimus ordo,
Juliades pater ipſe ſacras tibi commodat aures.
Huc oculos converte tuos, huc lumina flecte.
Adſpice regali ſolio ſublimis ut exſtet
Majeſtas auguſta viri. tenet ora verenda
In vultus en fixa tuos. Certiſſima divûm
Progenies! mens ô patrio contermina cœlo!
Seu juvat igniferum Phœbi rimarier axem,
Et geminos luſtrare polos; ſeu ſidera ſpectas
Ingenio vix æqua tuo; ſeu tempora faſtis
Reſtituis male nota ſuis; ſeu denique magni
Æmulus Euclidæ circos in pulvere ducis;
Aſſurgit Natura tibi: tibi, maxime rerum,
Submittit faſces, & ſe ſtupet eſſe minorem.
Præterea ſedet emeritis ſpectabilis annis
Grotius, & tacitâ ſubdit calcaria voce,
Gratatur que tibi votis. tibi dedita tota eſt
Mens Baudî facunda mei. favet Heinſius ore
Applauditque tibi. mox ordine tota juventus,
Felices tibi ſucceſſus devota precatur.
Et nunc ô felix! cui tam bene pugna peracta eſt,
Quem labor in tuta famæ ſtatione locavit,
Tempora nunc cujus Phœbeïa laurus inumbrat;
Præmia quæ tantis ſunt æqua laboribus. At nos,
Quos incertus adhuc, forſan tamen exitus idem
Mox manet, hæc à te ſtudiorum exempla petemus.

UVA. BHSC. BU 06120

CARMEN

Extemporaneum

Dicatum honori

Iuvenis Præstantissimi

GIBERTI POLLII.

QUamvis nulla petat sublimis præmia Virtus,
Nec vanos populi plausus, nec inania captet
Munera, sed meritos etiam contemnat honores,
Attamen invitam socii comitantur honores.
Quid juvet Annales, priscosque revolvere fastos,
Et genus Æneadum, & magni incunabula Tulli?
Quem teges excepit, cujus vagitus in arvis
Auditus, trepidum toties deduxit aratro,
Dum metuit ne quid lædat Fortuna, parentem.
Scilicet in pratis plorabat rusticus infans,
Quem vix Roma capit. pecudes pascebat avitas,
Et patrios duro perarabat vomere sulcos
Hostilius, quem mox Romana palatia regem
Et dominum dixere suum. notissima fastis
Nomina, Fabricios, Curiosque è rure profectos,
Et pastoralem jussos mutare ligonem
Fascibus ob pulchræ meritum virtutis, omitto.
Quin etiam exemplis non sunt hæc sæcula priscis
Indiga. dant Batavi, quos longum mittat in ævum
Posteritas, serique legant stupeantque nepotes.
Te tamen ante omnes, juvenum cultissime, dicam,
O patriæ spes certa tuæ, spes certa parentum!
Quem sibi despondet ventura in sæcula civem
Res Batava, ac sancti moderantem jura Senatûs
Suspiciet, miserisque reis oracula dantem.

UVA. BHSC. BU 06120

Scilicet id meritus ſerieque uſuque laborum,
Pernocti libet uſque tibi dum volvere dextra
Hanc, quæ Romanas inſcripta eſt pagina leges.
O quoties, Polli Titan orienſque cadenſque
Vidit adoratas cupidum perquirere leges!
Scilicet à primis talem te protinus annis
Formavere domi venerandâ lege parentes.
Nec tamen hanc laudem ſoli peperere labores.
Dî tibi judicium dederunt, artemque fruendi
Quidquid ab æterno veteres docuere magiſtri.
Dî facile ingenium, Dî linguam atque ora diſerto
Donavere tibi. ſed nec mihi dicere promtum,
Attonitas quoties facundia duxerit aures,
Dum ſimul unanimes, & tecto hæremus eodem.
Tene ego prætéream, terris lux aurea noſtris?
Quem te ſublimi viderunt ſede tonantem
Urbis Apollineæ proceres, procereſque Lycei!
Ut patribus ſtupuit Batavis immiſta juventus
Pectore ſollicitum & teſtantem plurima divos,
Et circumfuſa metuentem orare coronâ!
Hinc ubi ſublimem ſcandis, Giberte, cathedram,
Atque hoſtes denſo ſtipatos agmine cernis,
Armaque vibrantes, ac tela inimica moventes;
Luminibus paulum hærebas tellure moratis,
Immotuſque loco, vires dum colligis omnes.
Aſt, ubi firmatæ venerunt robora menti,
Fortiter innumerum late ruis obvius hoſtem,
Et trepidam armata proſternis voce catervam.
Qualis ubi infeſtum conſpexit cominus agmen
Ire leo, ut primum flagrantes percutit orbes
Obvia lux ferri, & jubar è mucronibus igneum;
Demittit cervice jubas, artuſque rigentes
Contrahit, & dubius, dum lentam colligat iram,
Subſidit campo, nec amarum fertur in hoſtem.
Mox ubi concepit furias, rabiemque medullis,
Et penitus ſævum ſtimulavit mente furorem,

Erigi-

UVA. BHSC. BU 06120

Erigitur, meminitque ſui. per tela viroſque,
Per ferrum ſibi pandit iter, gaudetque ruinâ
Inveniſſe viam. tum ſi levis incubet haſta,
Vulneraque & viles venantum negligit iras.
Jure igitur, laudum poſtquam documenta dediſti
Tantarum, ſummos, Giberte, capeſſis honores.
Eſt operæ celebres ab origine noſcere ritus.
Principio librum, Polli, tibi donat apertum:
Seu quia te Themidos jubeat myſteria dignis
Pandere, ſive vetet ſic te tibi fidere, fretum
Ingenti licet ingenio, ut componere lites
Sponte tua te poſſe putes. Nullius egenam
Mortales animæ mentem ſperare vetamur.
Mox tamen eſt clauſum tibi donaturus eumdem:
Seu quia te Themidos jubeat myſteria vulgo
Claudere, ſeu quia ſic jubeat tibi fidere, fretum
Ingenti ingenio, ut veterum certamina ſperes
Siſtere poſſe, & ſponte tua componere lites.
Hinc fulvo, Polli, digitus tibi cingitur auro:
Seu quia nil auro genitrix Natura creavit
Purius, hinc mentem puram ſervare jubemur.
Seu quoniam hic ritus per equeſtrem ducit honorem:
Sive quod (ambiguo quia adhuc ſub judice lis eſt)
Sint ſignanda tibi, quæ des reſponſa clienti.
Hos poſtquam ritus confecerit, oſcula libat
Concordi dextræ (ſignum hoc ſeu pacis habeto,
Sive clientis opus) capitique imponit honorem.
Stat fronti ſublimis apex, tegimenque verendum,
Ut Sophiæ ſedes victrici fronde tegatur.
Tot vero ornatum titulis, tot honoribus auctum
Adſpice Leida virum, votis quem ſæpe petiſti,
Sed nil perpetuum mundi compage tenetur.
Felices nimium, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Felices Batavos! ſed tu nunc plenus honorum
Inviſes terras alio ſub ſole jacentes.
Quo fugis immitis? cur regna aliena requiris?

UVA. BHSC. BU 06120

Sic elapsa tuæ dilecta Batavia menti?
Te genitor Rhenus, Vahalis te gurgite mœsto
Tam nascente die, quam denascente, requiret.
Ut jubar auratum viduo cum subtrahit orbi
Phœbus, & adversis donat sua lumina terris,
Cuncti indignantur tenebras, optantque vicissim,
Ut matutinos exertet Lucifer ignes.
Sed sua conspicuus reparat dispendia Titan,
Et noctem alternus formoso pensat Eoo:
Verum nulla dies, nullumque resarciat ævum
Jacturasque graves, Polli, & tam tristia damna
Discessu mihi nata tuo. quid prata? quid urbes?
Quid Batavi meruere tui? ne subtrahe vultus,
Servandum patriæ ne tollat Gallia civem.
Sic tibi longævos præstent pia fata parentes;
Gloria sic fugiat cineres tibi sera sepultos,
Venturoque meus memoretur Pollius ævo.

EPISTOLA JOCOSA

Ad Cognatum quendam suum.

O Dulce nomen, atque cognatum mihi,
Sed consulenti non amice curiæ,
Nec sordidatis tale præsidium reis,
Severa frontis quale promittit fides;
Et illa bina non amœna lumina,
Quæ fronte torvâ turpia aspectu micant;
Qualia, Pelasgis si qua vatibus fides,
Lascivus olim vector Europæ tulit;
Vel quale vasto vastior specu jacens
Polyphemus Ithaci regis amisit dolo;
Seu qualis aut est, aut procul tuentibus
Apollinaris orbis apparet facis.
O cujus ore melle quovis dulcius

Astræa

UVA. BHSC. BU 06120

Aſtræa legum condidit ſilentium,
Cognate noſter, quid rei potiſſimum
Terrâ in Batavâ facere nunc te exiſtimem?
An hocce mente providâ totus caves,
Uno clientes ne quis aſſe pauperet,
Noctes diebus noctibus jungens dies,
Aliena curans, propriorum negligens?
Quæ utrique quondam cura communis fuit.
Verum me Atlantis clarus aſtriferi nepos
Humeros amictus nube candenteis nigrâ
Celer per auras pedibus alatis vehens
Fœto ſceleſtis uſque & uſque litibus,
(Quæ vis Deorum eſt cælitum) eripuit foro.
An tetricarum triſtitatem litium
Amœnitate Sarſinati diluis?
Levine tempus ducis ingratum pilâ,
Seu te datatim, ſive te expulſim juvet,
Utroque pollens, debiturus nemini?
An potius aſprum exercitamenti genus
Quærens, relictis hiſce mollioribus,
Hæres Iberis doctus Aſturconibus:
An dulce collo virginis pendens onus
Ebria remiſtis verba jactas oſculis?
Capaciores anne poſtulans ſcyphos
Cinctus jocoſis hinc & hinc ſodalibus
Frangis morantem flore Liberi diem?
Seu rem lagænis ſtrenuus Chiis geris,
Seu Maſſicanis mavelis, aut Cæcubis,
Hiſpanienſi ſeu liquore poſtulas,
Seu Gallicano, ſive qui Germanicus
Rex cæterorum patriæ cellis meæ
Rheni ſecundo flumine illabi ſolet:
Non indecorum, amice, ſectans otium,
Inertiâ veſpiritum frangens marem;
Sed qualis agris inquilinus Atticis
Abſynthiorum tætram amaritudinem

UVA. BHSC. BU 06120

Süavitate edulcat Hyblæi favi;
Talis jocoso acerba curarum Evio
Viciſſitate haut inficetâ temperas.
Quocunque tandem tempus oblectas tuum,
Ecquæ ſodalis cura te antiqui manet,
Nuper ferocis incolæ Bataviæ,
Nunc obſecuti Principis juſſu ſui,
Procul ferocis finibus Bataviæ
Degentis, ac te? An hocce cum corpuſculo
Ægro, caduco, ac forte perituro brevi
Memoria noſtri fugit? excidimus tibi?
Dic, litterarum juriumque oblivio.
Nunquam excidemus. Qualis infido gener
Spretus Lycambæ, aut qualis hoſtis Bupalo
Injurioſas iſſe contumelias
Narratur ultum, talis occurram tibi.
In te paratas cornuum tollam minas,
Si ſæpe læſam ſæpius patientiam
Laceſſere audes, atque cognati exuis,
Cognate, nomen trux & infeſtus mihi.

Cætera deſunt.

GERAR-

UVA. BHSC. BU 06120

GERARDO JOANNI VOSSIO

Præceptori incomparabili.

O Cui debemus, quem nunc præſtamus amorem
Pieridum ſacris, Principibuſque fidem:
Cujus in ingenio poſuit ſapientia ſedem,
Et junxit comites ex Helicone Deas:
Qui quicquid veteres, quicquid docuere minores
Compoſitum ſancto pectore ſolus habes.
Accedit probitas, & neſcia fallere virtus,
Et mores, ſed quos ſæcula rara ferant:
Accipe devincti facilis rude carmen amici,
Pignore quo totum ſe vovet ille tibi.
Non grates, non ulla tibi præconia dicam:
Ut quæ ſint meritis inferiora tuis.
Providus at cauto ceu pictor texit amictu,
Quod nullo poterat dextra colore ſequi;
Sic quas carminibus nequeo comprendere laudes,
Attonitus tacitâ relligione colam.

IN POEMATA JACOBI EYNDII AB HAEMSTEDE

Ad Flandriam de prælio Flandrenſi.

DUm legis exactos, Tellus ingrata, labores,
Et cauſa invictos pro meliore Deos,
Quod niſi cum Batavis cupias reſipiſcere noſtris,
Inviſum populis, Flandria, nomen eris.

UVA. BHSC. BU 06120

IN
GERARDI TUNINGII
Apophthegmata variis linguis conscripta.

HUc ades, ô quisquis Batavas lustrabis arenas,
Hic ubi Libertas illa paterna viret;
Seu celerem Rhodanum, gelidum seu deseris Istrum,
Seu fugis aurifero regna beata Tago,
Seu rerum dominæ linquentem mœnia Romæ
Excipiet portu terra Batava suo.
Huc ades, & specta populis incognita vestris,
Et Lugdunensi si quid in urbe latet.
Sed nimium turres, nimium ne respice moles,
Quas struit in luxus ambitiosa suos.
Ecce aliquid majus, longeque potentius istis:
Hic posuit sanctum culta Minerva larem.
Hic sunt victuris notissima nomina chartis,
Quæ fovet æterno Fama beata sinu.
Tuque adeo, cujus totum laus fusa per orbem
Implevit titulis Solis utramque domum:
Ad cujus Famæ radios excita juventus
Sustinuit patriam deseruisse suam.
O quoties aliquis, cum te, Tuninge, notaret,
En decus, en Batavæ gloria gentis, ait!
Tu vero patrias, hospes, rediturus in urbes
Cum referes genti non bene nota tuæ,
Hoc quoque dic: Inter Batavæ miracula terræ
Conspicuum multâ vidimus arte virum,
Qui Gallus Teutoque foret, foret Italus; & quem
Jurârit civem Græcia prisca suum.
Si neget hoc aliquis; dic, cum foret ille Batavus,
Quod vix posteritas credat, Iberus erat.

UVA. BHSC. BU 06120

AD EUNDEM,

Quod ſex menſibus accuratiſſimè linguam Latinam didicerit, uno triennio totum ſtudiorum curſum abſolverit, ac Apophthegmata conſcripſerit otioſus.

JAm tibi tér ternos totidemque abſumſerat annos
Deſidia, & gelidæ mortis imago quies:
Jam poteras juvenis, jam vir, Gerarde, videri;
Veſtibat primas hiſpida barba genas;
Cum pia degenerem mens indignata quietem
Otia non ultra deſidiamque tulit.
Hactenus, exclamas, vitam ſectamur inertem;
Nunc alio puppim ventus & unda vocant.
Nec mora, Tuningi; Latias accingeris artes,
Et ſimul eſt curæ Græcia docta tibi,
Aggrederis linguam; ſexto tibi menſe peracta eſt:
Vix aliis ſextâ diſcere meſſe fuit.
Jam ſtupet innumerâ Batavus te voce loquentem;
Cum tibi per linguas impetus ire ſubit.
Hæc quoque, quæ Latias inſcripta eſt pagina leges,
Bis tibi quindeno cognita menſe fuit.
Docta laboratis junguntur & otia curis;
Illa, quibus debes, quod modo prodit opus.
Otia profuerunt. tua per diſpendia creſcis.
Ditia ſunt lucro damna, Gerarde, tibi.

UVA. BHSC. BV 06120

DE

SAMUELE NÆRANO

Elegantissimos Poëmatum libellos edente.

AD DORDRACUM.

QUos tibi dat civis, Batavûm Regina, libellos
Accipe: nobilior pagina nulla fuit.
Seu canit hic Elegos; teretes seu stringit Iambos;
Seu ferit Ausoniæ plectra secunda lyræ;
Seu juvat astrictis Anagrammata claudere nodis;
Seu juvat Heroos, Bilbilicosque sales.
Talia cantabat Geticis Pelignus in oris,
Dum nimium sævi Principis exul erat.
Talibus attonitas ducebat Cæsaris aures,
Pindaricum Flaccus cum superavit opus.
Talia Bilbilico quondam ludente Salonem
Pierides lymphis præposuere suis.
Te quoque cum terris Vahalis, Nærane, dedisset,
Castaliis meruit mistus ut iret aquis.

Manibus Viri Clarissimi

ÆLII EVERHARDI VORSTII,

A cujus excessu Lugdunensis lues in immensum crevit.

VIderat ingenti damnatam funere Leidam,
Et questa est Lachesis millia pauca mori.
Hactenus ignavæ vanis pugnavimus armis,
Hoc nullum est nobis sospite numen, ait.

Ultima

UVA. BHSC. BU 06120

Ultima contigimus. Jus mortis habemus ab uno.
Eludit noſtras Vorſtius uſque colos.
Finierat Lacheſis. ſoror altera ſtamina rumpit,
Et Leida heu damnum flet ſimul orba ſuum.
Nam quæ, te ſalvo ſalvo eſt graſſata pudore,
Extincto ſævit abſque pudore, lues.

IN OBITUM

Viri Clariſſimi

THOMÆ ERPENII

Orientalium Literarum in Academiâ Lugdunenſi Inſtauratoris Incomparabilis.

OMnia Lugduno dum Phœbus donat, habebat
Quas habuit Graius, quaſque Latinus, opes.
Intulit Erpenius Muſas Oriente petitas,
Hæc deerat Batavis gloria ſola meis.
Sublato Domino patrias rediere ſub oras,
Et fugit Batavos gloria tanta meos.
O Lugdunenſis data cui tutela Minervæ eſt,
Et vatum vates diceris eſſe pater,
Heſperias ſaltem, Phœbe, ô defende Camœnas,
Jam victi ſpolium mors Orientis habet.

In natalem annum Illuſtriſſimi Viri

JOSEPHI SCALIGERI

cIↃ IↃ XL. *qui tanto æſtu nobilitatus ſuit ut pleriſque calidioribus locis vineæ fuerint exuſtæ.*

CUM primum illuxit divinus Scaliger orbi,
Et didicit tellus ſidera poſſe pati,

Obſtu-

UVA. BHSC. BU 06120

Obstupuit Phœbus, valeantque & currus & æther,
Qui lucem (dixit) conferat, alter erit.
Dum pavet, & lumen venturum hoc invidet astris,
Exciderunt trepidâ flammea lora manu.
Deflexere rotæ, doluitque incendia mundus,
Et cœli damnum sensit adusta Ceres.
Quod timeas non est, genitor radiate diei,
Ut possint soles sidera ferre duos.
Non petit hic currus: sed quos, dum nascitur ille,
Non bene flectebas, ire docebit equos.

Aliud.

QUisquis adest peregre, Batavas initurus Athenas,
Et tot conspicuis mœnia clara viris,
Scaligerum tumulo non æstimet hospes ab illo:
Nil præter cineres ossaque nuda capit.
Non hæc semideos manes compescuit urna,
Non tegit immensos tam brevis arca Deos.
Prosiluit busto, & Divûm convexa secutus,
It rerum dominos spiritus inter avos.

Aliud.

ASTrorum proceres, superis gens addita Divis,
Queis regitur cœli curia summa viris,
Queis pietas, queis sancta fides, castique penates,
Et semper magnis æmula vita Deis,
Sublimem faciles patefecit ad æthera gressus,
Et superos inter donat habere locum,
Accipite hanc animam: non est sibi conscia culpæ,
Et negat ullius criminis esse rea.
Accipite, & cœlo det mollia jura volenti:
In terris doctas rexerat illa Deas.

Viro

UVA. BHSC. BU 06120

Viro Clarissimo

EVERARDO VORSTIO.

SIc tibi concedat medicanti Pergamus arte,
Nec certet dextræ dextera Coa tuæ;
Sic coëant queiscumque sacras admoveris herbas
Vulnera, nec dubiam sentiat æger opem;
Sævaque crudelis cessent contagia morbi,
Et fugiant succis victa venena tuis;
Ut mihi se non ante oculis tam grata legendam
Obtulit æternâ charta notata manu,
Crudeles obitus quæ rapti mœret amici,
Et jacit ad viduos tristia verba rogos.
Qualia sub densâ ramorum concinit umbrâ
Dum gemit absumtum Daulia mater Ityn,
Qualia cantabat Geticis in rupibus Orpheus,
Eurydices questus fata secunda suæ.
Hæc quoque venturi discant te vate nepotes:
Exequias ævum posteritatis eat.
Quid renuis frustra? non est tua pagina, Vorsti,
Quæ lachrymas seræ posteritatis habet.

DE

CLUSII

Obitu.

VIderat astrorum motus, causasque notarat
Quæ faciant nasci sidera, quæque mori.
Emensus stellas, & totum Clusius orbem,
In gemino quantum cardine Phœbus obit,
Jam didici cœlum, quid adhuc nisi terra relicta est?
Hinc quoque, sed major, fama petetur, ait.

Nec

UVA. BHSC. BV 06120

Nec mora, Telluris ſacras accingitur herbas,
Et gremio quidquid omniparente fovet.
Jam penetrat Gangen, jam Medum luſtrat Hydaſpen,
Et qui ſepteno gurgite Nile fluis.
Omnia quærebat. quærenti defuit orbis.
Ulterius nec quo progrederetur erat.
Nunc jacet hic. Tellus varias ſuperadjicit herbas,
Datque rogo lacrymis humida ſerta ſuis.
Qui coluit flores, & ſacræ ſemina matris,
Credibile eſt illum ſic voluiſſe tegi.

Aliud,

In tumulum

CLUSII.

QUid tegat hic tumulus, ſi vis noviſſe, viator;
Exuvias Clusî continet ille mei.
Confectas ſenio, fractas morbiſque maliſque,
Summaque vix quarum ſtrinxerat oſſa cutis.
Sed tamen ingenium, ſed mens divinior hujus
Heu male formati corporis hoſpes erat.
Non querimur raptum. Quidquid mors invida demſit,
Ingenio nobis reddidit ille ſuo.

Aliud.

CUm Clusî corpus tumulo Natura locaret,
Quem mœrens manibus fecerat ipſa ſuis,
Ingemuit, tollenſque manus ad ſidera, Terræ
Hoc peperi; cœlum cætera, dixit, habet.

Aliud

UVA. BHSC. BU 06120

Aliud.

QUi videt hos flores tumuli de vertice naſci,
Hæc cineri tellus ultima dona dedit.
O bene, quod tumulo condatur Cluſius iſto!
Qui coluit flores, floribus ille jacet.

Aliud

AD

CAROLI CLUSII

Manes.

DIvini manes, & tanti nominis umbra,
Et Clusî quidquid non tegit urna mei,
Accipite exiguum manſuri pignus amoris,
Dum liceat nobis condere majus opus.
Accipite, & quamvis parvum ne ſpernite munus.
Nunquam non pietas digna favore fuit.

Ad præſtantiſſimum Juvenem

ANDREAM BERLICOMIUM

BALDUINI BERLICOMII V.C.F.

Cum XVII *Maii*, CIↃ IↃ CX *Dionyſ. IC. in Illuſtri* BAT. ACAD. *diceretur.*

DUlce caput, ſacra quem virtus mihi junxit amicum,
Cujus inextincto tactus ab igne cales,
Non tu barbariem ſecli vitiumque ſecutus
Inculto ſacram polluis ore Themin;
Sed placuit comites Aſtreæ jungere Muſas,
Et Latium quidquid, Græcia quidquid habet,
Aut quidquid Tellus, quâ primum vagiit infans,
Per cujus nobis vulnera vita venit.
Hinc ſeriem rerum, variaſque inquirere cauſſas
Incipis. Ingenii res erat illa tui.

UVA. BHSC. BU 06120

Et quæ naſcenti fuerint primordia mundo,
Aut qualis tunc, cum non foret ullus, erat.
Et quæ præterea voluit Natura latere,
Aut quorum eſt ſoli cognita cauſſa tibi.
Hactenus annorum fuerant elementa tuorum,
Cum tibi per Leges impetus ire ſubit.
Hæc quoque quæ Latias inſcripta eſt pagina Leges,
Bis tibi quindeno cognita menſe fuit.
Omnia quærebas. rerum tibi defuit orbis,
Ulterius nec quo progredereris erat.
Hactenus, & ſatis eſt. Themidi ſuſpende tabellas,
Alterius jam ſunt caſtra ſequenda tibi.
Hæc eſt illa dies, quæ te majoribus infert,
Jam tibi nobilius Curia monſtrat iter.
Cætera qui noſti, titulo quoque diſce vocari.
Hoc nullum majus Gloria nomen habet.
Me quoque, quem forſan ſimilis Fortuna ſequetur,
Exemplo poteris erudiiſſe tuo.

Manibus

PETRI COLONII

qui Lugduni peſte extinctus eſt.

UNica ſpes patri, miſeræ ſpes unica matri,
Delicium caſtæ præſidiumque domûs,
Et cum doctrinâ pietas, probitaſque, fideſque,
Et cautæ niveus ſimplicitatis amor,
Et nimium properè rapti Virtutis honores,
Quos vel jam dederat, quoſve datura fuit,
Hac pariter tumulantur humo. Flevere parentes
Heu lethi letho triſtius eſſe genus.
Deſine tantarum nunc ô, ſæviſſima ſtragum,
Et ſaltem furiis meta ſit iſta tuis.
Multis illa quidem, ſed nullâ inviſior umbrâ
Infecit ſanctos Palladioſque lares.

Luxi-

UVA. BHSC. BU 06120

Luximus Erpenium, vix poſt tua funera, Vorſti.
Non habet in Leidâ jam nova plaga locum.

Dies XXIX *Auguſti Menſis Grotiano carcere nefaſtus.*

EPIGRAMMA PRIMUM.

HÆc eſt illa dies, quæ tanti conſcia luctûs
Grotiacas vidit vincula ferre manus;
Nec flevit ſcelerata nefas, ſed lumine ſicco
Admiſit radios, auree Phœbe, tuos.
Deſine felices inter, Lux impia, luces.
Formoſo nebulam ſpargere velle die:
Sed qualis Latiis damnata eſt Allia faſtis,
Inviſum populis tu quoque nomen habe.

Aliud. II.

QUam bene conveniunt ſimili duo numina fato,
Iſacidum ductor, Grotiadeſque meus!
Evaſit latitans anguſtâ Grotius arcâ:
Servatus texto viminis ille fuit.
Huic Vahalis placidas ſubſtravit fluminis undas:
Hoc Nilus, Moſe, fecerat ante tibi.
Excipit hunc Celtes, illum regina Canopi:
Et reus hic patriæ eſt; & fuit ille, ſuæ.
Par quoque principium ſimilis fortuna ſequetur:
Nam populo leges hic dabit, ille dedit.

ARCA. III.

HÆc ea, quæ domini ſolita eſt portare libellos,
Grotiadæ fuerat pondere facta gravis:
Mutatum neque ſenſit onus. Quod enim illa ferebat,
Id quoque, ſed ſpirans, bibliotheca fuit.

IV.

SEdes cara Deis, ſervati gloria vatis,
Servato grates quas tibi vate feram?

UVA. BHSC. BU 06120

Hæc verbis æquare velim si facta, libellis
Tot nobis opus est, ferre quot, Arca, soles.
Quid prodest optare libros, facundia quorum
Sacra sit in laudes ingeniosa tuas?
Nobile depositum, tibi quod debere salutem
Agnoscit, major bibliotheca fuit.

V.

HÆc, quam stare vides, peregrinæ filia silvæ,
Servatrix domini nobilis Arca sui,
Non leve, nec quavis decisum ex arbore lignum,
Sed stirpem trunco de meliore vides.
Aut fuit intactæ quondam hæc tutela Minervæ;
Aut fuit hæc Clario laurus amata Deo.
Huic Paphias myrtos, vel quâ Cybeleïus Attys
Fronde latet, lignum suppeditasse putem.
Vel quas Chaoniis populo responsa petenti
Commemorant quercus certa dedisse jugis.
De sylvâ quocunque venis, Theseia puppis
Quod fuit Actæis, hoc eris, Arca, mihi.

In Gazophylacium & Armamentarium Dresdense Serenissimi Electoris Saxoniæ.

VIderat excelsæ Mars pulchra palatia Dresdæ,
Et sacras, Princeps quas cumulavit, opes;
Atque ait, Has decuit habuisse, ô Jupiter, auro
Tunc tibi cum Danae concilianda fuit.
Cui pater ostendens armamentaria, tales
Cœlesti retulit protinus ore sonos;
Cum conjuratos premeret mea dextra Gigantas,
Optassem hæc potius arma fuisse mihi.

UVA. BHSC. BU 06120

MARIÆ ELEONORÆ

Suecorum &c. Reginæ, cum ei incomparabilis pulchritudinis Canem Indicum mitteret.

INdia quem noſtris ſubmiſit victa triumphis,
Hunc pedibus dextrâ ſupplice ſiſto tuis.
Ut faciem aſpicies, nihil eſt formoſius illo,
Et talis, dices, Procridis ante fuit.
Hunc cœlo Erigone, ſylvis Diana dicaſſet:
Sed, niſi te, nullo numine dignus erat.

Inſignia Ordinum Generalium & domûs Auſtriacæ.

QUæ conſtricta vides uno tot ſpicula nodo,
Protegit invictæ Martia cura feræ.
Advolat Auſtriacis ales delapſus ab oris,
Et roſtro & curvis unguibus illa petit.
Stat contra intrepidus, ferrumque intentat in hoſtem.
Et libertati vindicat iſta Leo.
Quid contra nemorum dominum dominumque ferarum,
Infelix volucris, unguibus ire paras?
Maturanda fuga eſt. velocibus utere pennis.
Aut aliter ſalvæ non licet ire tibi.

Cur Nonno in Dionyſiacis

RHENUS IBER

dicatur.

EPIGRAMMA JOCOSUM.

DUm modo ſepoſitis agitat convivia curis,
Miſtaque Phœbêæ Martia turba ſedet,
Inter mille jocos, quibus alta palatia rident,
Hæc quoque cum multis quæſtio mota fuit:
Ille tui vates operis, cur dixerit, Evan,
In tibi ſacrato carmine, Rhenus Iber.

UVA. BHSC. BU 06120

Sed neque Grammaticos inter qui dicere posset,
Nèc quibus in tabulâ pingitur orbis, erat.
Miles adhæc ridens, frustra quod quæritis istic,
Hoc ducis Hesperii dextra docebit, ait.
Nec mora, Germanis infers fera, Spinola, signa;
Et cedit Rheni viribus unda tuis.
Sic dubitat nemo, bene quin dicatur Iberus,
Quod voluit nemo credere, Nonne, tibi.

DANIELIS HEINSII

Votum ad Halcyones pro incolumitate

JOANNIS RUTGERSII.

Ἀλκυόνες πόντοιο γαληνιόωνθ' ἄνασσαι,
Μᾶναι ἀκυμάντου μητέρες εὐπλοίης,
Νεῦ᾽ ἄλλα μοι τερέσαιτε καὶ ἴλεω ἄμμι γένοισθε
Παισὶν ἀθηναίης παῖδες ἁλὸς ῥοδίης.
Εἰ δέ μοι ἔστιν ἀνὴρ γλυκερὸν ζάθεον ὅρμον ἔχοιτο,
Ἄκρον ἑταιρείης, καὶ φιλίης κεφυφὴ,
Ὑμμιν ἐγὼ πάλιν αὖτε λεχωΐον ὕμνον ἀείζω
Ὠδῖσι μογερῇς ἀμφιθαλὴς ὁμιλίης.
Ὄφρα φίλαν πίνωμεν ἀμοιβαίην χάριν ἄμφω
Ὄρνιθες μεσσέων ὄρνιζι νηρείδων.

LATINE RUTGERSIO interprete.

VOs ô navigii matres felicis, & ô vos
Reginæ placidi Halcyones pelagi,
Nunc agite ô, facilem nobis nunc sternite pontum
Palladiis pueris Oceani pueræ.
Si decus nostri juvenis hic culmen amoris
Optata incolumis littora contigerit,
Distentis duro partûs ægroque dolore
Tunc vobis genitalem hymnum ego concinuam.

Alter-

UVA. BHSC. BU 06120

Alternas igitur grates ſolvamus uterque
Muſarum volucres Nereïdum alitibus.

HUGONIS GROTII
EPIGRAMMA
Inſcriptum albo amicorum
JOANNIS RUTGERSII.

PIctus Apollineâ ſtellantia tegmina lauro,
Qui domini Vatis ſe probat eſſe, liber;
Optime Rutgerſi, non hic in plebe latentes,
Sed notas toto quærit in orbe manus,
Quas longæva manent conſtantis ſæcula famæ;
Omnis quas cupiat bibliotheca ſuas.
Iſte Caſaubonos habeat liber, iſte Thuanos;
Heinſiacas monſtret gentibus iſte notas.
Aurea doctorum recitatrix charta virorum,
Nomina quæ tantum non moritura vehis,
Quid tibi nobiſcum? quid me, precor, ordine vulgi
Detrahis, & ponis non regione meâ?
I tamen, atque aliquis qui ſim ſi forte requiret;
Dic unum hoc, domino me placuiſſe tuo.

EJUSDEM
EPIGRAMMA
AD
JOANNEM RUTGERSIUM
Suecorum, &c. Regi à Conſiliis, in Sueciam abeuntem.

VOs quæ cæruleo neſcitis gurgite tingi,
Cuſtodes axis magna minorque feræ,

UVA. BHSC. BU 06120

Suppositum vestris petit en Rutgersius orbem
Sideribus, patriæ sidus & ipse suæ.
Incolumem præstate ratem, bona plurima secum
Quæ vehit, Arctoæ non bene nota plagæ.
Ad juga Sævonis, glacialique æquore cinctas
Lappionum terras, &, Scritofinne, tuas
Actææ veniunt artes, Romanaque Suada.
Barbariem longe qui fuget hospes adest.
Qualis præcipitem vates Oeagrius Hebrum
Sithoniâ fertur detinuisse lyrâ.
Qualis & ille solo dignus meliore Poëta
Plaustrivagos docuit verba Latina Getas.
Sed satis est uti, Sueones: nil poscite majus:
Credidit hoc vobis terra Batava caput.

In Clarissimi Iuvenis

JOANNIS RUTGERSII

Regii in Suecià Consiliarii

VARIARUM LECTIONUM LIBROS.

ANnosos famæ nunquam pereuntis honores
Dum legit, & quicquid charta celebrat anus,
Hæc notat incensus simili Rutgersius æstro,
Et sibi non levius numen adesse probat.
Quo mirêre magis, primæ sunt orsa juventæ
Quæ legis. hac petiit jura forumque viâ.
Et nunc illa manus, cui tam bene nota vetustas,
Vandalicis rebus ferre rogatur opem.
Indomitis olim Romam qui vicerat armis,
Romanâ gaudet nunc Gothus arte regi.
Ille bonis pretium didicit Rex ponere nostris:
Æstimet hinc dotes terra Batava suas.
Pierides, vobis honor hinc contingit: in aulam
E vestro Juvenis poscitur ille sinu.

Cum

UVA. BHSC. BU 06120

Cum Sueonum populis tali data jura miniſtro,
Et cum finitimis fœdera facta leget,
Hunc quoque poſteritas digito tritura libellum;
Hic illi fuerat, dicet, ad iſta gradus.

HUGO GROTIUS

Scripſi Amico fraterno mihi amore juncto.

EJUSDEM
EPIGRAMMA

In Nuptias Danielis Heinſii & Ermegardis Rutgerſiæ, ubi & de Rutgerſio agitur.

VAtum maxime, tuque digna Virgo
Urbis principis in ſinu creati,
Illo ſanguine, qui tot atque tantos
Rectores dedit, & dabit Batâvis.
O quot ſunt pariter canenda Muſis!
Hinc Vatis ſoror, inde Vatis uxor.
Et tu, cor Venerum, pater Lepôrum,
Quem tam læta dies requirit unum;
Seu te Rex ſocium trahens laboris
Hoſtem finibus arcet imminentem:
Seu jam de Getico profectus axe
Codani veheris ſinûs per undas,
Optans ut liceat cito videre
In complexibus Heinſium ſororis.
Vos omnes veniam peto precorque,
Quod noſtri ſine carminis tributo
Nox nulli ingenio tacenda tranſit:
Hoc curæ faciunt moleſtiæque,
Phœbus quas fugit Aöniſque turba.
Det nobis Deus, ut ſereniorem
Hoc à tempore computemus annum.
Tunc, quæ debueram thoro jugali,
Solvam carmina dedicata cunis:

UVA. BHSC. BU 06120

Cum patrem tenero profeſſus ore
Doctum vagiet Heinſianus infans;
Nec dormire volet, niſi paterni
Dulces carminis audiat ſuſurros.

JOANNIS RUTGERSII

Regii in Suecia Conſiliarii è Batavia abeuntis Propempticon,

A

DANIELE HEINSIO

conſcriptum.

AEolii fratres, quorum ſub numine ſurgit
Pontus, & illæſæ decurrunt æquora puppes,
Hoc terris ſervate caput: cui junctus Apollo
Æternuſque Helicon dubiis committitur undis,
Et patriæ ſperata ſalus. ſi tota precatur
Imploratque ſuos regina Batavia Divos,
Et gens indigno Muſarum oppreſſa dolore.
Nam neque ſic mœſto juvenis divulſus Oreſta
Phocæus; neque ſic mediis deprenſus in umbris
Ægides ſtupuit, cum victor ſidera retro
Alcides peteret, clauſoque evaderet orbe,
Cuſtodem referens tenebrarum è nocte ſilenti,
Centum ora, & centum torpentem colla catenis;
Ut nunc immenſo curarum involvimur æſtu
Phœbi ſacra cohors. Nec tu tamen ardua cœpta,
Invictoſque animos pone, & ſublimia vota,
Spes & amor patriæ Juvenis: quanquam æquora tanta
Undarumque obſtant montes, tam ſæva minantur
Frigora: quanquam Arctos vicino ſidere, quanquam
Immitis Boreas ſperatum diligit axem,
Et glaciem & fractos molitur ab aëre nimbos:
Nec te detineant lachrimæ vultuſque paterni,

Et

UVA. BHSC. BU 06120

Et fraternus amor, circumfuſæque ſorores,
Non alii, quos celſus honos è ſtirpe tuorum
Extulit, & noſtris affixit gloria rebus,
Illuſtres animas, claraeque ab origine gentis:
Quorum humeris quanta eſt populi fortuna recumbit.
Nec te detineat patriæ præſentis imago,
Non pulchri aſpectus nemorum quos poſſidet Haga,
Aſtrææ Venerique Deæ gratiſſima ſedes,
Haga voluptatum genitrix genitrixque laborum;
Totque urbes hinc inde aliæ: vel quæ tibi lucem
Prima dedit, primumque indulſit munera vitæ.
Quanquam illam rex indomito cum flumine Moſa,
Et Linga, & genitor Vahalis circumerrat aquarum,
Quanquam olli curas omnis, triſtiſque dolores
Diluit, & grato ſolatur munere Rhenus.
Hoc quodcunque vides, qua cœli ingentia tecta
Incubuere ſolo, terramque amplexus inertem
Tot circum flammis diffunditur aureus æther,
Quaque impacatum terras prælabitur æquor;
Virtutis ſpacium eſt. hanc metam illuſtribus auſis
Indulſit Natura parens, tum cum æthere ab alto
Ignea victuræ libavit ſemina mentis,
Æternoſque animos imbelli in corpore clauſit.
Si non Æoliden Ithace, non Theſſala Tempe
Ardentem Æaciden, non ſeptem terga minantem
Taurorum Telamoniaden Salaminia rupes,
Non antiqua Pylos felicem nectare linguæ
Neſtora, non dominæ Atridas tenuere Mycenæ;
Tu quoque, ſit quamvis formoſa Batavia mater,
Fœderibus regum tantis, tot læta tropæis;
Ingentem diffunde animum, qua ſidera currunt:
Et patriam metire immenſæ finibus æthræ.
Tempus erit, cum plenus opum, cum plenus honorum,
Irritaque expertus magnarum præmia rerum,
Pollutas nullo laudabis crimine Muſas,
Occultoſque lares, ubi vitæ tuta petentem

Otia

UVA. BHSC. BU 06120

Otia tranquillo luſtrabit lumine Virtus.
Seu procul ignavo gaudentem excedere vulgo,
Porticus accipiet, torvo dilecta Catoni,
Audacis nutrix animi, conſtanſque laborum:
Seu qui Socratico diffundit nomine verum,
Ignotus populo ſapiens, vicinus Hymetto,
Iliſſum trepidantem inter fonteiſque ſalubreis
Feſſum aulæ, dulcis ſophiæ circumdabit umbra.
Sæpe etiam regum curas, & triſtia bella,
Et quicquid gelido Oceanus ſub gurgite volvit
Monſtrorum, effuſas informi corpore phocas,
Et nil balænis debentem immanibus orcam,
Non infacundo mecum perfuſus Iaccho,
Lugduno in media referes: ubi mollia curis
Tempora compoſitis Muſiſque indulget Apollo.
Interea cauſas alii, & civilia jura
Defendent, patriaſque evolvent litibus urbes,
Quæ quondam tibi cura fuit. Nunc maxima rerum
Majeſtas, & ſceptra vocant: nunc purpura nobis
Invidet, & Regum non expugnanda voluntas.
I, fatis accede tuis, rebuſque futuris;
Et lætos admitte Deos: Sueonumque potentum
Regnatorem animo excelſum, fretumque juventâ
Et laudum ſpe, diſce ſequi: ſive horrida caſtra,
Riphæas inter glacies ſeptemque Triones,
Figit, & armatum circumdat frigore Moſchum:
Seu ſpumantis equi ſudore undantia colla
Aſſueſcit tonitru murorum, & fulmine Martis:
Seu pacis molitur opus: Gotthoque volente
Arctoas late componit legibus urbes.
His rerum auſpiciis, tantoque inſignis honore,
Pone ſequens magni exempla & veſtigia Dycki,
Nuſquam olim patriam aſpicies inglorius Hagam.

FINIS.

UVA. BHSC. BU 06120

UVA. BHSC. BU 06120

Bib
6

UVA. BHSC. BV 06120

HEINSII

POEMATA

BU
Biblioteca de Santa Cruz
6.120

UVA. BHSC. BU 06120

ט׳ט׳א. ב׳ח׳ס׳כ. ב׳ט 06120

UVA. BHSC. BV 06120

UVA. BHSC. BV 06120